DE ALISONE CASTELLO DEQUE CLADIS VARIANÆ LOCO.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVII.

PUBLICE DEFENDET

Guilelmus Engelbertus Giefers,

GUESTPHALUS.

MUNERE ADVERSARIORUM FUNGENTUR:

HENRICUS SALZMANN, Dr. phil.

HENRICUS BRINKMANM, Dr. phil.

JULIUS FICKER stud. phil.

CREFELDIAE

FORMIS KLEINIANIS.

VIRIS ADMODUM REVERENDIS

HENRICO GUNDOLF,

PROFESSORI ET GYMNASII PADERBORNENSIS DIRECTORI,

NEC NON

ANTONIO GUNDOLF,

IN EODEM GYMNASIO SUP. ORD. PRÆCEPTORI,

COGNATIS DILECTISSIMIS

ET

DE SE MERITISSIMIS

HAS PAGELLAS

PII GRATIQUE ANIMI ESSE VULT TESTES

SCRIPTOR.

Quamvis Germani studium illud, quo incensi ante aliquot annos statuendi Arminio monumenti ceperunt consilium, paulatim deposuisse videantur, neque eadem, qua hoc opus aggressi sunt industria studeant persequi: propter summam tamen liberalitatem, qua nostra aetate permultis iisque præstantissimis viris statuas collocaverunt, diem haud longe abesse, licet confidere, quo etiam Germaniae liberatori in summo saltu Teutoburgiensi amplissimum constituatur monumentum. Quod cum universa Germania magno studio sumptuque conficiendum curaverit: quin illo die ex omnibus pagis Germani ad illud frequentissimi conveniant, dubitari nequit. Tum sane nihil fore arbitror, quod hominum multitudo undique congregata magis quaerat sciscitcturque, quam ubinam illa præclara perpetrata sint facinora, quorum memoriam celebraturi confluxerint. Sed talia quærentibus nihil respondebitur nisi dubia atque contraria. Licet enim de locis, quæ in bellis a Romanis cum pristinis Germaniæ incolis gestis memorabilia facta sunt, libelli conscripti sint fere innumerabiles: tamen ad hunc usque diem, ubi Arminius victoriam celebratissimam a Romanis reportaverit, relictum est dubium controversumque. Negari quidem non potest, illa loca, quippe quæ Romanorum scritores paucissimis absolvant, perdifficilia esse circumpscriptu: veruntamen recentiorum, qui id facere conati sunt, alii [1]) nimio falsoque patriæ amore ducti commentis magis et ludicris ingenii esse delectati, quam id, quod quæritur, persecuti videntur; alii [2]) scriptoribus veterum, veris huius rei fontibus, omissis, tu-

1) C. F. Petersen, Wo Hermann den Varus schlug.

2) W. Tappe, Die wahre Gegend.. der Hermannschlacht. Hammersteinius et Hohenhausenius, qui de eadem re scripsere.

mulis et viarum reliquiis ejusmodique rebus antiquis nimiam habuerunt fidem; omnes denique plura inquirere ac demonstrare susceperunt, quam pro exiguitate fontium, ex quibus in hac re licet haurire, effici potest. Accedit, quod plerique[1]) eorum linguæ græcæ ignari veterum locis e græco pessime conversis et omnes fere Romanorum scriptorum locis admodum corruptis freti sunt. Quare factum est, ut omnes inter se dissideant, et fere nihil assecuti sint, in quo acquiescere possimus. Omnes autem eorum contentiones satis ostendunt, operæ esse pretium, accuratissime inquirere, ubi victoria illa, qua patria a Romanorum servitio liberata est, sit parta. Romanos vero Alisone castello demum expugnato devictos esse constat.[2]) Quibus omnibus de causis scripturus de cladis Varianæ loco deque Alisone castello, neque intempestivam, neque supervacaneam, neque etiam inutilem scribendi materiam elegisse mihi videor. Sed priusquam rem ipsam aggrediamur, pauca de ratione viaque, qua ad utramque quæstionem supra propositam responsuri simus, præcipienda videntur. Ex compluribus veterum[3]) locis inter se collatis facile colligitur, cladis Varianæ locum haud procul Alisone esse quærendum,[4]) ita ut huius situ accurate cognito ac descripto ille sine magno labore possit inveniri. Cum autem apud veteres scriptores plura sint ea, ex quibus situm Alisonis cognoscas, quam ea, quae illius cladis locum significent: primum ubi illud castellum fuerit collocatum copiosius uberiusque, tum ubi legiones

1) Clostermeier, Wo Hermann den Varus schlug. 1823. Gruppen Origg. Germ. — Leopold von Ledebur, Land und Volk der Brukterer, Berlin 1827. — 2) Cf. §. 21, h. disp. — 3) Cff. Tac. ann. II, 7. Vell. Pat. II, 120. Frontin. Strat. III, 15, 4. De his locis infra copiosius disputabitur. — 4) Cf. Clostermeier, l. c. p. 119, 212 „Der letzte Wahlplatz fand sich, man könnte sagen, fast vor den Thoren der Festung Aliso."

Varianæ victæ sint, brevius exponere mecum constitui, ita ut tum demum, ubi ad utramque quæstionem responsum erit, decernatur, utrum uterque locus recte vereque sit descriptus necne. Jam igitur, quo loco Aliso fuerit positus incipiamus investigare.

I.

§. 1.

Cum permulti Alisonis situm in quæstionem ante me vocaverint, opus est, ut ubi vera asseculi sint et ubi aberraverint videamus. Sed satis habebimus doctiorum virorum acutiorumque sententias percensere; nam omnium vestigiis insistentes tantum a via deflecteremus, ut nunquam consequeremur propositum. Nonnulli [1]) igitur eorum, qui occasione oblata de illius castelli situ scripserunt, ex iis veterum locis, in quibus Alisonis mentionem faciunt, effici opinati sunt, hoc nomen castellis fuisse duobus, quorum alterum ad ostium Lupiæ fluminis, alterum ad eius fontes fuerit exstructum. Hanc autem opinionem ex nulla alia causa videntur concepisse, nisi quod ex rationibus Cl. Ptolemæi, [2]) a quo locorum memorabilium situm ex altitudine longitudineque cœli descriptum esse constat, coniectura licet assequi, Alisonem Rheni Lupiæque confluentibus fuisse propinquum, e verbis autem Velleii [3]) et Dionis Cassii [4]) castellum *Alisonis* nomine appellatum Lupiæ fontibus appositum coniicias. Quæ quidem opinio nobis non probatur. Illæ enim Ptolemæi rationes tam incertæ sunt tamque

---

1) Mannert, Geogr. d. Griech. u. Röm. III, p. 103, 537, al. Fiedler, Kunst- u. Wissenschaftsbl. z. Rhein. Westf. Anzeig. 1823 Nr. 27. Sökeland, Strassen der Römer u. Franken . . . p. 18. Dr. Wilhelm, Germanien u. seine Bewohner 1823, p. 310. — 2) Cf. Ptol. Geogr. II, 11, Wilhelm, l. c. — 3) Vell. II, 105, 3. — 4) Dio C. 54, 33. De Velleii et Dionis loco laudato postea pluribus dicetur.

mendosæ, ut vel levissima careant auctoritate, [1]) nisi cuiusdam veteris scriptoris testimonio confirmantur, quod quidem in hac re neutiquam accidit, imo Vellii et Dionis verba Ptolemæum in situ Alisonis definiendo valde errasse plane testantur[2]). Si autem hoc nomen duobus fuisset castellis, Vellejus et Tacitus[3]) summæ negligentiæ atque ambiguitatis essent coarguendi, quod de utroque promiscue ac sine ulla distinctione commemorassent. Quapropter hoc certum manet, uni tantum castro *Alisonis* nomen fuisse inditum. [4])

---

1) Cf. E. v. M(üffling), „Die Römerstrassen am recht. Ufer des Niederrheins." Berl. 1834 p. 8, „Bei einer nähern Untersuchung zeigen sich seine" (des Ptolem.) „Længen- u. Breitenbestimmungen bis zu dem Grade unbrauchbar, dass es nicht möglich wird, eine von ihm angegebene Stadt mit nur einiger Wahrscheinlichkeit aufzufinden. Vergebens sind von uns alle Mittel erschöpft worden, um aus dem nördlichen und darauf folgenden Klima ein brauchbares Resultat zu gewinnen." — 2) Vell. l. c. Dio l. c. cf. Ledebur. l. c. p. 325. „Die Angabe der Breitengrade des Ptolemæus versetzt den Ort (Ἀλείσων) . . . an die Mündung der Emscher"; (am Rheine, in der Nähe der Stadt Holten) „und da wir hier ein Dorf Alsum finden, so scheint es beinah ausgemacht, dass hier das Ptolomæische Alisum gelegen habe." (Durch diese Annahme) „werden wir aber gezwungen, den alten Geographen eines noch unwahrscheinlicheren Irrthums zu beschuldigen. Er stellt nämlich das ihm gewiss noch genauer bekannte Vetera mit Alisum auf gleiche Polhöhe, welches wohl auf Aliso, aber nicht auf Alsum zutrifft. Dann verfehlte er aber wieder die richtige Længenangabe, indem er sein Alisum dem Rheine zu nahe bringt." — 3) Vell. II, 120 „ . . qui una . . Alisone circumdati . . ." Tac. l. c. „Ipse (Germanicus) audito, castellum Lupiæ appositum obsideri, . . : cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum permunita." — 4) Ledeb. l. c. p. 326, „Da die Quellenschriftsteller aber nur Ein Aliso an der Lippe kennen, und gewiss, wenn es deren zwei an demselben Flusse gegeben hätte, zwischen beiden einen Unterschied gemacht haben würden, so dürfen wir immer Alisum für

Quod cum ex verbis Taciti [1]) Lupiæ flumini fuisse appositum appareat, hisce simul opinionem revictam velim eorum, qui illius castelli reliquias in regionibus a Lupia remotis quærendas esse opinantur. [2])

Jam pergamus ad eos, qui generatim quidem illud castrum Lupiæ applicatum fuisse existimant, sed de ipso eius loco in tres potissimum discedunt partes. Inde a tempore Cluveri[3]), qui primus pristini temporis geographiam accuratius tractavit, usque ad medium sæculum proxime superius *Alisonem* eo loco stetisse, in quo nunc colocatus est vicus Elsen, Lupiæ fluviique, quem hodie vocant *Alme* confluentibus vicinus, omnes viri docti uno consensu affirmabant. [4]) Hanc communem omnium opinionem primus Grupenius[5]) impugnavit, Alisonem enim Rheno propiorem fuisse, quam illum vicum copiosissime conatus est demonstrare. Ex eo complures eius castri locum accuratius designare studuerunt, inter quos eminent Dr. Schulzius [6]) et Ledeburius, [7]) quorum ille Alisonem eo loco fuisse, ubi Ahse fluviolus in Lupiam sese effundat, arbritratur, hic argumentis iam a Grupenio maximam partem propositis ut Gattereri sententiam, qui illius castelli locum in agro Liesbornensi inter Lupiam et Liesam fluvios

identisch mit Aliso halten, und nehmen sogar dadurch den Ptolemæus, dass wir ihn eines Irrthums in Betreff der Längenbestimmung beschuldigen, gegen den noch grössern Fehler der unrichtigen Nachweisung Vetera's in Schutz. Ferner læsst sich Alsum auf Alsheim zurückführen; cf. Dorow, Denkm. alt. Sprach. p. 191." — 1) L. c. — 2) B. Rhenanus ad Vell. Pat. II, 120, Ortellius in Tabula geogr. veter. Belg. alii. — 3) Antiq. Germ. 1616, l. III, p. 34. 4) Fürstenbergius, Monumenta Paderb. 1660; et 1713 p. 1 seqq. Horrion, panegyric. superiori libro addit. p. 58 seqq. Stangefol; circ. Westph. II, c. 4. Schaten. hist. Westph. p. 42. Gronovius, Burmannus, Eccardus, alii. — 5) L. c. I, p. 77—98. — 6) Cf. Kunst- u. Wiss. Bl. z. Rh. Westph Anz. 1822, Nr. 15. — 7) L. c. p. 290 seqq.

esse interiectum pronuntiaverat, confirmaret, omni opera nisus est. Egoquidem de Cluveri sententia non esse decedendum censeo. Ad quam priusquam argumentis probandam accedamus, et Schulzii et Ledeburii opinionem refellere conabor.[1])

§. 2.

Argumentum longe gravissimum omnes duxerunt e verbis Dionis Cass.,[2]) qui *eo loco quoddam castrum a Druso exstructum esse* tradit, *ubi Lupia et Aliso in unum confluant.* Sed quæritur, utrum huic loco Alisonis situm investigaturi confidere possimus, an quod Grupenio videbatur, Dio nomina inter se confuderit et potius voluerit scribere, *Drusum Alisonem castellum exstruxisse*, *ubi Lupia in Rhenum influit.* Hoc quidem negandum est. Ipse enim Grupenius illud castrum duorum fluviorum confluentibus proximum fuisse concedit, neque ullo pacto potest contendi, a Dione, etsi nomina eum inter se confudisse concederemus, præter Lupiam alium fluvium castello, de quo quæritur, fuisse propinquum, fictum esse. Quominus autem Grupenio assentiamur, impediunt et Dionis verba *aliud (exstruxit) ad ipsum Rhenum*, quæ plane ostendunt, prius castellum non ad Rhenum fuisse positum, et particula *τί*, quam Dio Cass. *τῷ φρουρίῳ* subiunxit, ex qua re manifestum est, eum consulto castelli nomen silentio præteriisse. Hinc igitur a Druso castellum quoddam Lupiæ et Alisonis confluentibus appositum esse apparet.

1) Præter illos, quos supra p. 9 n. 4 enumeravi, nostra ætate illam Cluveri sententiam comprobarunt Dr. Rosenmeyer in „Mellinkrodts Magaz. 1816, p. 360 seqq. Luden d. Gesch. 1843, I, p. 71. Clostermeyer l. c. p. 65—71. Müfflingius l. c. p. 18 seqq. Horum, postremo excepto, argumentationem Ledeburius impugnavit, cui nondum quisquam occurrit. — 2) L. c. *ὥςτε τὸν Δροῦσον -- ἐκεῖ τε, ᾗ ὅ τε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται -- φρούριόν τι -- τειχίσαι, καὶ ἕτερον -- παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ.*

Jam autem quærendum est, quomodo Dionis Cass. locum in nostram rem convertamus. Cum Tacitus et Velleius [1]) de castello Alisone commemorarint Lupiæ adiuncto, non difficile est probatu, Drusum castellum illud vicini fluvii nomine *Alisonem* nuncupasse. Cum enim *Aliso* vocabulum sit Germanicum, quod postea [2]) exemplis docebitur, non poteris intelligere, cur Romani hoc nomen suo indiderint castro, nisi id cuicunque rei propinquæ fuisse inditum concesseris. Præterea Ptolemæus [3]) Amisiæ flumini Amasiam castellum appositum perhibet, quo probatur, non fuisse præter morem Romanorum, castella a fluviis denominare. Denique Dio Cass. neutiquam negat, castrum Drusi *Alisonem* appellatum esse. Quam ob rem castellum a Druso ad confluentes Lupiæ et Alisonis collocatum huius fluvii nomine *Alisonem* esse nuncupatum sine ulla dubitatione confirmaverim.

Quæ cum ita sint, quæritur, cuinam fluviorum, qui in Lupiam effunduntur, quorumque nullus etiamnunc Aliso vocatur, olim hoc nomen fuerit. Horum autem trium Ahsæ, Glennæ, Almæ potissimum ratio habenda est, præter quos qui cum Lupia confluunt, aut rivuli sunt, aut nullam eorum nomina cum *Alisonis* forma habent similitudinem. Qua de re castellum, de quo quæstio est, nusquam alibi fuisse necesse est, nisi ad ostium unius trium fluviorum, quos in Lupiam effundi diximus.

Primum igitur fuere [4]), qui id locum urbis Hammonæ, prope quam Ahsa fluviolus cum Lupia miscetur, obtinuisse affirmaverint, inter quos excellit Dr. Schulzius. [5]) Cui cum gravissimum ut videtur argu-

1) Vell. et Tac. ll. cc. — 2) Cf. §. 8. — 3) Geogr. II, 11 cf. Ledeb. l. c. p. 332, ubi patifactum est, eundem locum a Ptolemæo „Amasiam" et a Tacito (l. c. 8) „Amisiam" vocari. — 4) Cf. Acta diurn. „Hermann" 1818 Nr. 15. Götting. gelehrt. Anz. 1816 Nr. 80. — 5) L. c.

mentum esset fluvioli, quem dixi, nomen, non opus est, eius ratiocinationem pluribus infringere, quoniam binis litteris vetustis à Ledeburio [1]) productis Ahsam olim *Artzene* sive *Orzene* esse dictam satis confirmatur. Quæ quidem vocabula, qui velit cum Schulzio ab *Alisone* ducere, omnino neminem esse existimo. Cetera autem, quæ ad sententiam suam confirmandam Schulzius attulit, illo fundamento everso aut nullius sunt momenti, aut certe leviora, quæ postea occassione data revincentur. Quapropter ad refutandam Grupenii Ledeburiique transeamus sententiam, de qua quidem eo accuratius est disputandum, quod iam complures viri [2]) iique doctrina insignes eam secuti alios quoque errores divulgarunt.

§. 3.

Loco supra laudato Dio Cass. [3])memoriæ prodidit *Drusum* (a Visurgi) in terram Romanis conciliatam redeuntem castellum ad Lupiae et Alisonis confluentes exstruxisse. Quem locum cum nescio quis olim e graeco sic in latinum convertisset: *regressus in terram sociorum;* [4]) Grupenius [5]) eo perperam converso in errorem ductus, Alisonem non longo spatio a Rheno abfuisse sibi persuasit, quoniam Romanis tempore Drusi inter Rhenum et Visurgim nondum ullos fuisse socios rectissime vidit, in quorum terra Drusus castellum condere potuerit. In hoc autem

1) L. c. p. 297 „De Hakenwerder . . op der Arsene,“ 1404 Kindling. Handschr. „Vor der Stat tom Hamme by der Artzene.“ 1434, ibid. — 2) Kufahlius, Deutsche Gesch. 1831 p. 182 seqq. Massmannus „Arminius“ 1839, p. 36. Dunkerus, Origg. Germ. 1840, p. 126. — 3) L. c. *ἀνακομιζόμενον ἐς τὴν φιλίαν*, auf seinem Rückzuge in Freundesland. — 4) Cf. Dio ed. Sturz. III, p. 319. — 5) L. c. p. 81, „Dass die Erbauung der beiden Schlösser auf dem Rückmarsch geschehen und noch dazu wie er aus Feindesland in „sociorum terram“ schon getreten, zeiget gar zu offenbar, dass er solches im Paderbornschen nicht erbauet haben könne.“

Ledeburius non acquievit. Sed Bructeros Romanorum socios fuisse, in quorum fines Drusus regressus castellum condiderit opinatur [1]). Nam cum iis iam anno ante prœlio navali in Amisia flumine Drusum dimicasse ex loco Strabonis concludit [2]). Cum autem Dio Cass. eum antequam Alisonem aedificaret, per fines Sigambrorum et Cheruscorum ad Visurgim processisse tradiderit, Ledeburio nullos praeter Bructeros tum Romanorum fuisse socios, de quibus Dio Cass. commemoret, est persuasissimum. Itaque in finibus Bructerorum Alisonem fuisse callocatum constanter defendit [3]). Hos autem cum iisdem limitibus a Cheruscis esse disiunctos putet, quibus septem seculis post diœcesis Monasteriensis a Paderbornensi dividebatur, ita ut hanc Cherusci, illam Bructeri inhabitaverint, constantissime argumentatur, Alisonem non fuisse in agro Elsensi, qui finibus diœcesis Paderbornensis i. e. Cheruscorum contineatur, sed in territorio Liesbornensi, parte diœcesis Monasteriensis,

---

1) L. c. p. 185, „Um die errungenen Vortheile zu sichern, gründete Drusus das wichtige Castell Aliso am Zusammenfluss der Liese, Glenne u. Lippe. Zu seinen Bundesgenossen zog er sich also von der Weser aus zurück, im Lande seiner Bundesgenossen fiel das Treffen bei Arbalo vor“ (De hoc proelio infra §. 6 uberius disputabitur.) „in demselben Lande bauete er Aliso. Da Cherusker und Sigambier ihm feindlich gegenüber standen, so können nur die Bructerer hier unter den Bundesgenossen verstanden sein.“ 2) Cf. ib. p. 180 seqq. Strab. VII, 1, §. 2, ed. Siebenkees, 1798. ποταμοὶ (ὧν ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος τοὺς Βρουκτέρους κατεναυμάχησε). — 3) Ledeb. l. c. „Innerhalb ihres (der Bructerer) Landes und nicht in dem der Cherusker haben wir also Aliso zu suchen. Das Kirchspiel Liesborn -- gehörte zur Münst. Diöcese -- wie zum Bructererlande. Es lag auch an der Gränze dieses Landes, sowie des gedachten Sprengels, folglich an der Gränze des mittleren Germaniens, und an dieser Gränze gelegen, wird Aliso (v. Vell. II, 105) ausdrücklich bezeichnet.“

i. e. terra Bructerorum.[1]) Quod alterum ut magis comprobetur, laudat haec Velleiiana[2]) *Tutela imperii eum* (Tiberium) *veris initio reduxit in Germaniam, in cuius mediis finibus ad caput Lupiae* (Juliae) *fluminis hiberna digrediens princeps locaverat.* Verba enim *in mediis finibus* (Germaniae), quae omnino nihil aliud possunt valere, quam in media Germania, Ledeburius ita interpretatur, ac si Velleius scripsisset *in mediae Germaniae finibus.* Quae cum Velleii verba ad Alisonem referenda esse iustissime viderit,[3]) ea sibi esse gravi argumento opinatus est, quoniam et ager Liesbornensis in limitibus utriusque diœcesis, quas diximus, situs sit, et in eodem Glenna fluvius in Lupiam effundatur; nam cum antiquam *Juliae* scripturam retineat, Glennae ostium a Velleio *caput Juliae* appellari non dubitat affirmare. Hoc vero, quod fundamentum est et Grupenianae et Ledeburianae argumentationis, futile esse falsumque, nemo est, qui non videat, quoniam illa Dionis Cass. perperam conversa et haec Velleii a Ledeburio falso explicata sunt. Quod quantumvis cuique probetur, tamen non possum, quin singulis breviter recensendis, quam infirmis rationibus ille sententiam suam stabilire conatus sit ostendam. Jam misso eo, quod apud Dionem Cass. loco allato nulla *sociorum* fit mentio, ex verbis Strabonis,[4]) Bructeros iam Drusi tempore Romanis societate esse adiunctos, nulla ratione effici potest. Primum enim non liquet, quo anno

---

1) Cf. ib. p. 294 seqq. — 2) Vell. l. c. — 3) Lb. p. 299, „Der geschichtliche Zusammenhang der Begebenheiten lehrt, dass unter hiberni Tiberii nichts anders, als Aliso verstanden werden könne. Dass Vell. unter caput Juliæ nur die Glenne Mündung verstanden haben könne, beweiset seine nähere Bezeichnung, „in mediis finibus, d. i. an den Gränzen der Bruct. u. Cherusker.“ — 4) Strab. l. c. cf. p. 12.

Drusus in Amisia cum Bructeris dimicaverit. Plurimi [1]) autem illud anno post Alisonem conditum proximo factum esse coniiciunt. Tum Bructeros eam Amisiae partem attigisse, in qua prœlium navale poterat committi, parum veri est simile, qua de causa complures [2]) Straboni in hac re fidem esse habendam negarunt. Utcunque res se habet, ex eo, quod Bructeri cum Romanis conflixerint, ne suspicari quidem licet, ex eo tempore illos his fuisse socios. Quod autem dicit ille vir celeberrimus, ipsis diœcesis Paderbornensis et Monasteriensis confiniis Bructeros a Cheruscis divisos esse, hoc nulli historiarum perito persuasum esse credo. Plurimis enim veterum scriptorum locis [3]) contestatum est, iam tum Germaniae nationes ultro citro migravisse. Quare quis Cheruscos Bructerosque per septem saecula iisdem limitibus disiunctos esse sibi persuadeat? [4]) Ceterum etiam in hanc rem valere videntur illa poetae:

— — — Saxonum proxima Francis
Adiacet ad Boream tellus: vix limite certo
Divisi gentis fines utriusque cohaerent. [5])

Neqne minus is verisimilitudinis fines transgressus est contendens *caput Juliae* [6]) nihil aliud esse nisi ostium Glennae, etiamsi *Juliae* legendum esse statueremus. [7]) Primum enim *caput fluminis* significat plerumque eius fontes, neque unquam

1) Barth, Deutschl. Urgesch. I. p. 455. Mannert, l. c. p. 69 (1792) Fiedler, röm. Denkm. a. Niederrh. p. 19. — 2) v. Wersebe, Deutschl. Völker u. Völkerbündnisse, Hann. 1826, p. 14. Luden deutsch. Gesch. 1825, I, p. 645. Mannerto (l. c. p. 207) videtur, pro „Lupia" falso a Strabone „Amisa" esse scriptum. — 3) Cf. Strabo, VII, 1, §. 3. Tac. Ann. XIII, 55 seq. al. mult. — 4) Cf. Casp. Zeuss, die Deutschen u. die Nachbarstaämme, Müncheu 1837, p. 380—394. 5) Poëta Saxo, cf. Pertz Mon. h. G. I, 227. — 6) Cf. Vell. l. c. — 7) H. l. pro „Juliæ", „Lupiæ" esse scribendum postea docebitur.

fere ostium, nisi fluminis, quod in mare se effundit.[1]) Si vero Velleius Glennae ostium voluisset significare, sine dubio eum dicturum fuisse, *ubi Julia in Lupiam influit*, vel saltem Lupiae, fluminis celebrioris mentionem facturum fuisse arbitror. Si autem formarum *Juliae* et *Glennae* similitudinem explores, vix unam literam utrique communem esse vides. Atque ex his statim intelligitur argumenta a Ledeburio ex verbis Dionis Cass. et Velleii petita omnino nihil valere.

§. 4.

Alterum is duxit argumentum e loco Taciti [2]) *Ipse* (Germanicus) *audito castellum Lupiae flumini appositum obsideri, sex legiones eo duxit. --- et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.* Priusquam autem quanam ratione Ledeburius hunc locum in suam sententiam convertat videamus, generatim quaerendum est, numquid ad Alisonis situm describendum ex eo colligi possit. His enim Taciti verbis quam maxime probaretur, Alisonem Lupiae fuisse appositum, si non essent, qui post *castellum* interpungant et *castellum* et *Alisonem* ac *Rhenum* distinguant,[3]) ita ut *castellum Lupiae appositum* aliud sit atque Aliso. Si autem ita distinguimus, quodnam castro isti alteri dabimus nomen? Aut quodnam fuisse ad Lupiam locatum praeter illud a Druso exstructum putas? Si aliud fuit, certa debuit Tacitus addere nomen vel

1) Cf. Herzog ad Cæs. d. C. Gall. IV. 10, „Caput heisst jedes Ende, folglich Quelle des Flusses und Mündung; ersteres ist jedoch gewöhnlicher;“ cf. Virg. Georg. IV, 19, Liv. I, 51, XXXVII, 18. Allein Liv. 33, 41 „ad capita, quæ vocant Sari fluminis. (Cæs. l. c.) Daraus folgt, dass capita gern von mehrfachen Mündungen eines Flusses gebraucht wurde.“ Cf. §. 9 h. disp. — 2) Tac. Ann. II, 7. — 3) Lipsius in Comm. in Tac. h. l.

saltem scribere inter *illud castellum, Alisonem ac Rhenum.* Quare doctissimi viri,[1] qui nuper Taciti Annales ediderunt, post *castellum* non interpungunt. Hinc igitur manifestum est, Alisonem Lupiae fuisse applicatum.

Sed quoniam traditum est, omnia inter Alisonem ac Rhenum limitibus aggeribusque fuisse permunita, illum ab hoc haud longo intervallo fuisse disiunctum nonnulli[2]) dictitant, cum intelligere nequeant, quomodo fieri potuerit, ut et Romani aggeres limitesque a Rheno usque ad Almam fluvium facerent, et Germanicus tam brevi tempore a Rheno profectus Alisonem perveniret. His Ledeburius[3]) ita se occurrere animum induxit, ut Alisonem in agro Liesbornensi situm fuisse contendat. Quae quidem ratio tam levis est, ut vix opus sit eam refellere. Nam vicus Elsen ab agro Liesbornensi vix unius diei distat itinere. Qua de re quis, si Romanos usque ad hunc agrum cuncta permunivisse limitibus et Germanicum ad eum brevi tempore pervenisse contendit, idem fieri potuisse usque ad vicum illum audeat negare? Attamen illi non difficiles sunt ad convincendum. Eos enim, qui inter agrum Elsensem ac Rhenum cuncta aggeribus limitibusque fuisse permunita negant propter magnum spatium, quod inter utrumque interiectum est, satis superque refutatos habebo, si eos ad consideranda monumenta vallaque delegavero, quae Romani in me-

1) Ritter, prof. Bonn. Ruperti al. — 2) Grupen, l. c p. 78. Mannert. l. c. p. 103. Sökeland, l. c. p. 16—18. — 3) L. c. p. 311. „Es kann uns ein solches Unternehmen (der Römer) eben nicht als etwas Ungeheures erscheinen, sobald wir die etwa nur 13 d. Meil. betragende Entfernung Aliso's vom Rheine und die Lage dieser Festung gegen Vetera betrachten. Schwieriger erscheint allerdings und auch zweckwidriger (? ?) diese ganze Anlage, sobald wir in dem entfernteren, auf der unbeschützten (?) Südseite der Lippe gelegenen Elsen, Aliso suchen.“

ridionali Germaniae parte confecerunt [1]). Quod autem attinet ad velocitatem, qua Germanicus profectus videtur, neminem, qui deligenter Taciti libros legerit, effugere potest, eum propter brevitatis studium haud raro in rebus gestis enarrandis neque temporis, neque locorum distantiae, in quibus gestae sunt, satis habere rationem [2]). Ceterum Alisonem Rheno non fuisse vicinum liquet; quis enim Germanos tantae audaciae fuisse credat, ut castellum obsederint legionibus Romanis proxime situm?

Illa autem Taciti verba Ledeburii sententiam non solum non confirmant, sed etiam falsam esse docent. L i e s a enim fluviolus non effunditur in Lupiam, sed in Glennam, cui iam pristinis temporibus hoc nomen fuisse ipse Ledeburius [3]) demonstravit. Cum igitur Liesam a Dione Cass. *Alisonem* esse dictam existimet, hoc non potest conciliari cum verbis Dionis Cass. Tacitive, nam ille Alisonem ipsum facit cum Lupia confluentem et ad utriusque confluentes illud castellum positum perhibet, hic idem Lupiae appositum. Hanc difficultatem Ledeburius [4]) ita

1) Cf. Wilh. l. c. p. 291 seqq. Quidni etiam ad Lupiam eiusmodi opera conficere potuerint? — 2) Cf. Clostermeier, l. c. p. 208 „Bei der Kürze des Tacitus kommen in seinen Werken mehrere gleichsam abgerissene Stellen vor. So versetzt derselbe Ann. II, 8 den Germanicus von der Mündung der Ems plötzlich in beträchtlicher südl. Entfernung an die Weser.“ Aliter de hoc loco judicat Mannert, l. c. p. 105 „Hier zeigt sich eine beträchtliche Lücke im Tacitus.“ Errat Mannertus. — 3) L. c. p. 298. — 4) Ib. „Wir geben dadurch dem Castell auch keineswegs eine zu grosse Ausdehnung, wenn wir die Entfernung von der L i e s e bis zur G l e n n e-Mündung, welche c. 2500 (?) Schritt beträgt, als die Länge einer Flanke annehmen.“ In hac re vehementer erravit, nam ostium Liesae a Glennae VI circiter millia passuum abest, i. e. plus quam dimidium milliarii, ut ita dicam, geographici. — Ut recte intelligar, millia XX, pedum sive X millia passuum exæquare milliarium germanicum sive geographicum scias.

solvere conatus est, ut dicat, et Alisonem tanta fuisse longitudine, ut altera parte Lupiam, altera Liesam attigerit, et Dionem Cass. Alisonem ipsum in Lupiam illabi affirmantem errasse. Mihi vero, neque castellum octo millia passuum longum fuisse probabile videtur, neque ea, quae a veteribus tradita sunt, ad arbitrium sententiamque nostram esse explicanda existimo [1]). Qua de causa tenendum est, quod Dio Cass. tradit, Alisonen adiacuisse confluentibus duorum tantum fluviorum; quorum alter ipse in Lupiam influat. Cum autem Liesa non ipse in Lupiam sese effundat, iam nunquam eum *Alisonem* esse vocatum veri est simillimum, quod argumentis corroborare aggrediar.

§. 5.

Plurimi nulla re nisi nomine *Liesae* eo adducti videntur, ut castrum, de quo quaeritur, ei fluvio adiunctum fuisse opinarentur, quoniam hoc vocabulum ab *Alisone* ducendum esse putabant, quod Ledeburio [2]) quoque videtur. Sed hanc rem ita esse uno tantum exemplo a vocabulo *Alisni*, quod in *Leese* transiisse affirmat, sumpto nobis persuadere voluit, quod neque ulla ratione probabili neque auctoritate aliorum [3]) quibus idem visum est, confirmavit. Sed ut hoc exemplo

1) Egregie de hac re dicta sunt a Clostermeiero hæc: (l. c. p. 247) „Es ist nicht erlaubt, sich nur in soweit auf die röm. Schriftsteller zu verlassen, als sie der Meinung, die man geltend machen will, zusagen, sobald aber ihre Nachrichten mit dieser sich nicht vereinbaren lassen, solche entweder zu ignoriren, oder sie als unpasslich zu verwerfen, oder ihnen allenfalls auch einen andern Sinn beizulegen, als sie nach schlichter Interpretation in sich fassen.“ — 2) L. c. p. 297 „Für Liese ist die Verwandschaft mit Aliso urkundlich (?) nachzuweisen (cf. Ann. Pet.) „in loco cuius vocabulum est Alisni.“ „Pertz (Mon. I, 18) hält diesen Ort für Elsfleth im Oldenb., ist aber das heutige Leese bei Stolzenau.“ — 3) Grupenii l. c. II., p. 21, 190. Eccartii, d. reb. Franc. orient. I, p. 773.

nihil demonstrari omnesque in hac re erravisse videas, totum locum a Ledeburio laudatum producamus. Est in ann. Petavian. ad ann. 796:[1]) *Carolus rex --- vastavit Saxonia, et praeda magna, obsides acceptis in D r a c h i n a fecerunt Franci pontem super amne Wisera, in loco cuius vocabulum est A l i s n i; inde perrexit Wigmodinga.* Quamquam iam Eccartius[2]) rectissime viderat, vocabulo *Drachina* pagum significari, tamen Grupenius[3]) vicum D r a k e n b u r g sic olim vocatum coniecit, quare ei, vicum L e e s e vocabulo A l i s n i signatum esse, erat persuasum, quorum vicorum alter alteri est vicinus. Quam longe vero is aberraverit a vero, intelligas oportebit, si oculos conieceris in tabulam geographicam,[4]) in qua illa regio descripta est. Nam vicus D r a c k e n b u r g non solum inter vicum L e e s e et pagum Wigmodinga, qui complectebatur regionem locis Bremervörde et Vegesack interpositam, est interiectus, sed etiam in eadem Visurgis ripa, in qua ille uterque, situs est. Qua de re neque opus erat, ut Franci acceptis iam obsidibus Drackenburgii, pontem Visurgi imponerent, neque eos ad vicum L e e s e, ab illo pago remotiorem quam Drackenburg, rediisse probabile est. Accedit, quod sine dubio D r a c h i n a pagi cuiusdam est vocabulum, nam in annalibus Petavianis pagorum plerumque nomina tantum memorantur, vici pluribus verbis denotantur, e. g. *loco cognominante Patraebrunnon; locus, qui dicitur Eresburgum.*[5]) Quo circa non temere me facere credo, si Pertzio[6]) et Eccartio[7]) D r a c h i n a nomen esse pagi D r a i n g a ad Lupiam siti affirmantibus assentiar et cum illo *A l i s n i* nunc appellari E l s f l e t h putem. Hic

1) Cf. Pertz, l. c. — 2) L. c. — 3) L. l. c. c. — 4) Quam Wersebius libro suo „Die Gaue zw. Elbe, Weser . . .“ Hann. 1829, addidit. — 5) Cf. Pertz, l. c. p. 18. — 6) L. c. 7) L. c.

nim vicus ita est Viturgi appositus, ut Franci apud eum ponte exstructo extemplo in ipsum *Wigmodinga* pagum transire possent. Ex his omnibus vocabulum *Leese* ex *Alisni* non esse derivandum, planum est ac manifestum, unde statim sequitur, Ledeburium exemplo ab *Alisni* petito, *Liese* ex *Alisone* ducendum esse, neutiquam effecisse. Sed ipse parum constanter *Liese* ex alio quoque nomine duci posse docet. Ut enim probetur, vocem *Elsen* esse germanicam de quo nemo dubitat, fluviorum affert nomina *Ilse*, *Else*, *Liese*, quae ex vocabulo *Elisabeth* profecta esse haud temere defendere videtur [1]). Quid enim est probabilius, quam illius quoque fluvioli *Liese* nomen ex compendio scripturae *Elisabethae* ortum esse coniectura? Nam *Liese* dictum pro *Elisabeth* sexcenties invenitur in libris tabulisque mediae aetatis, neque rarum est etiamnum in sermone vulgi. Quod quamvis veri simile sit, tamen iis, qui hanc *Liesae* nominis originem esse veram negaverint, aliam proponam. Haud pauci sunt fluvii, qui nomen e modo, quo fluunt, traxerunt, cuius rei unum proferre exemplum satis est. Fluviolus quidam, de quo infra pluribus dicam, olim *Riesele* vocabatur, quod vocabulum ex rieseln quin profectum sit, vix dubitandum est, quoniam ille fluviolus susurrans per prata agrosque decurrit. Haud secus nomen Liesae

---

1) Ledeb. l. c. p. 291 „Der in der Topographie Deutschlands unter verschiedenen Formen vorkommende Name Elsen (Elsen, Ilsen, Alsum, Helsen, ebenso die Flussnamen Else, Ilse, Liese[!], drei Formen, die sich als Abkürzung des Namens Elisabeth wiederholen) kann seinen ächt germanischen Ursprung nicht verläugnen, verbietet daher durchaus die Annahme, dass von dem römischen (?!) Aliso erst das deutsche Elsen seinen Namen erhalten habe. Dass aber Aliso nicht nach einem bereits vorhandenen Orte, sondern nach einem Flusse benannt sei, bezeugt Dio Cassius.“ Quae pauca quantopere inter se discrepent non opus est exponere.

exortum esse probabiliter credideris. Fluit enim per campos arenosos placide leniterque sonans, quod germanice leise vocatur. Hoc autem vocabulum Guestphaliae vulgus ita pronuntiat, ut litteris quidem exprimi nequeat, sed ad sonum vocis *Liese* quam proxime accedat.

Utrum autem rationem, qua Ledeburius *Liesae* originem esse *Elisabeth* docere videatur, probaveris, an meam etymologiam, nihil attinet; nam ex iis quae adhuc exposui, satis puto intellectum, *Liese* non esse ducendum ex *Alisone*. Hoc etiam testimonio Velleii [1]) et Taciti [2]) corraboratur, qui Alisoni nomen cuidam castello fuisse tradunt. Utriusque autem auctoritas longe est gravior, quam Dionis Cass. [3]), qui id fluvio fuisse testatur. Nam Vellejus sine dubio ipse Alisone commoratus est [4]), neque ita multo post Tacitus annales scripsit; contra Dio Cass. centum annis post Tacitum mortuum historiis scribendis operam dedit. Quapropter licet, castello fluvii nomen inditum esse, ut supra demonstratum est, ad verum quam proxime accedat; tamen plus habet probabilitatis, si loci vicive quam si fluvioli cuiuspiam nomen ex *Alisone* profectum statuimus. Atque his graviora adversariorum argumenta satis eversa esse mihi persuasi. Quae praeterea attulerunt, nullius fere sunt momenti et nostra sententia confirmanda plane diluentur. Cum igitur Alisonem neque ad Ahsae ostium neque ad Glennae stetisse effecerim, iam probabiliter credideris, eum ostio tertii fluviorum, quos supra diximus, i. e. Almae fuisse applicatum, quod ut firmissimis argumentis doceatur, altera nostrae disputationis parte nobis est agendum.

II.

§. 6.

Id vero, quod demonstrare volumus, neque rectius neque accuratius evinci posse videtur, quam singulis

1) Vel l.l.c. — 2) Tac. l. c. — 3) L. 54, c. 33. — 4) Cf. Vell. II, 111.

iis, quae veteres de Alisone memoriae prodiderunt, deligenter recognoscendis. Itaque primum ad Dionem Cass., qui eius originem commemorat, nos convertamus.

Ineunte vere inquit [1]. *Drusus iterum ad bellum profectus, Rhenum transiit, Usipetas suo imperio subiunxit, Lupiaeque ripis ponte iunctis in Sigambros irrupit perque eos et in Cheruscorum fines usque ad Visurgim processit. Hoc facere ei licebat, cum Sigambri Chattos, utpote qui soli finitimorum ipsis auxilia negavissent, in odio haberent iisque omni cum populi vi bellum inferrent. Drusus iis insciis fines eorum peragravit, Visurgim etiam transiturus, ni eum alimentorum inopia et*

---

1) Dio l. c. Ἅμα δὲ τῷ ἦρι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόν τε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο· τόν τε Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προεχώρησε, μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου. ἠδυνήθη δὲ τοῦτο ποιῆσαι, ὅτι οἱ Σύγαμβροι τοὺς Χάττους, μόνους τῶν προσοίκων μὴ θελήσαντας σφίσι συμμαχῆσαι, ἐν ὀργῇ σχόντες, πανδημεὶ ἐπ' αὐτοὺς ἐξεστράτευσαν· κἀν τῷ καιρῷ τούτῳ ἔλαθε τὴν χώραν αὐτῶν διεξελθών. καὶ διέβη ἂν καὶ τὸν Οὐϊσοῦργον, εἰ μὴ τῶν τε ἐπιτηδείων ἐσπάνισε, καὶ ὁ χειμὼν ἐνέστη, καί τι καὶ σμῆνος ἐν τῷ στρατοπέδῳ αὐτοῦ ὤφθη. οὔτ' οὖν περαιτέρω διὰ ταῦτα προεχώρησε, καὶ ἐς τὴν φιλίαν ἀνακομιζόμενος, δεινῶς ἐκινδύνευσεν. οἱ γὰρ πολέμιοι ἄλλως τε ἐνέδραις αὐτὸν ἐκάκωσαν, καί ποτε ἐς στενὸν καὶ κοῖλον χωρίον κατακλείσαντες, ὀλίγου διέφθειραν. καὶ πασσυδὶ ἂν ἀπώλεσαν, εἰ μὴ καταφρονήσαντές σφων, ὡς καὶ ἑαλωκότων, καὶ μιᾶς ἐπικοπῆς ὄντων, ὁμόσε αὐτοῖς ἀσύντακτοι ἐχώρησαν· νικηθέντες γὰρ ἐκ τούτου, οὐκέθ' ὁμοίως ἐθρασύνοντο, ἀλλὰ πόρρωθεν μὲν σφᾶς παρελύπουν, ἐγγὺς δὲ οὐ προσῄεσαν. ὥστε τὸν Δροῦσον ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν, ἐκεῖ τε, ᾗ ὅ, τε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρούριόν τι σφίσιν ἐπιτειχίσαι, καὶ ἕτερον ἐν Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ.

hiemis propinquitas apumque examen in castris visum deterruissent. Qua propter non ulterius progressus est, sed in terram sibi conciliatam rediens in summum incidit periculum Insidiis enim hostium iam alias laesus et aliquando loco angusto atque concavo circumclusus, haud procul abfuit, quin toto cum exercitu periret. Ex quo cum periculo nihil aliud eripuit, quam hostium temeritas, qui cum contemnerent Romanos quasi iam captos et uno velut ictu concidendos, nullo servato ordine eos adorti sunt.

Inde victi non audebant rursus propius adire, sed eminus tantum hostem infestabant, ita ut Drusus vicissim eos contemnens castellum (quoddam) contra eos ad Lupiæ et Alisonis confluentes aliudque in Chattis ad ipsum Rhenum exstruxerit. Haec Dio Cass.

Cum supra castrum a Druso Lupiae et Alisonis confluentibus adiunctum huius fluvii nomine *Alisonem* appellatum esse argumentati simus; haud pauca ex his Dionianis licet colligere, quibus eius castelli locus denotetur. Primum enim patet, viae, in qua Drusus a Visurgi ad Rhenum rediit, id fuisse proximum. Tum ea docent, Alisonem neque a sedibus hostium, qui Druso periculum intulerunt, neque ab illo loco angusto magno spatio fuisse disiunctum. Quaeramus igitur oportet, primum per quam regionem Drusus a Visurgi rediens ad Rhenum pervenerit, tum quinam fuerint illi hostes, denique ubi locus ille concavus sit quaerendus.

Quarum quaestionum ad ultimam cum permulti nostra aetate respondere conati sint, postremo Ledeburius, quos omnes verum non esse assecutos persuasum habeamus; a nostra disputatione non est alienum, praesertim cum ille ex eo loco angusto accurate ut opinatur circumscripto argumentum ad sententiam, quam de situ Alisonis

proposuit, confirmandam sumpserit, de hoc loco uberius disputare.

Quod Dio Cass.[1]) *apum examen in castris Drusi esse visum* refert, id quoque est apud Plinicum[2]), *Sedere* (apes) inquit *in castris Drusi imperatoris, cum apud Arbalonem prosperrime pugnatum est.* Cum uterque unam eandemque rem narrare videatur, haud pauci illi loco angusto, cuius Dio Cass. mentionem facit, Arbaloni fuisse nomen suo iure contenderunt. Quamvis enim Drusus ex iis angustiis aegre processerit et multis militibus amissis neque sine magna difficultate in apertum pervenerit campum[3]); tamen res Romanis illo tempore prosperrime evenisse testis est etiam Florus[4]) *victor* inquit *Drusus equos, pecora, torques eorum* (Cheruscorum, Chattorum, Sigambrorum) *ipsosque praeda divisit et vendidit.* Neque hisce repugnat, quod est apud Julium Obseq.[5]) qui *in Germania in castris Drusi* ait *examen apum -- consedisse -- et multitudinem Romanorum per insidias esse subiectam;* nam idem, Dio Cass.[6]) testatur, Romanis iam ante accidisse, quam loco angusto concluderentur. Quae cum ita sint, non possum quidem, quin illis angustiis Arbaloni nomen fuisse concedam: tamen minime mihi probatur ratio ea, qua recentiores hunc locum designare student. Nam omnium inquisitio a quadam nominum similitudine quasi a fundamento profecta est. Complures enim vocabulum Arbalonis in singula vicorum nomina Barchfeld[7]), Albersloh[8]), Hohen-Warte (Arbartha)[9]), Barlo[10]), Gütersloh[11]), Erpesfeld[12]), transiisse opinati sunt. Horum autem voca-

1) L. c. — 2) Histor. nat. XI, 18. — 3) Cf. Luden, D. Gesch 1843, I, p. 71. — 4) IV. 12. Cff. ea, quæ infra de hoc loco Flori disseram. — 5) De prodigg. lib. n. 132. — 6) L. c. — 7) Kruse deutsch. Alterth. Hall. 1825, I, v, p. 25. — 8) Dr. Schulz, l. c. 1825, Nr. 45. — 9) Sökeland ibid. 1826, Nr. 9. 10) Cf. „Westphalia“ 1825, Nr. 52. — 11) Cf. Kunst- u. Wiss. Bl. Nr. 6, 1826. — 12) Ledeburius l. c. p. 301 seqq.

bulorum nullum praeter postremum ex *Arbalone* profectum esse Ledeburius[1]) vetustissima eorum forma prolata satis ostendit. Quare nobis nihil relictum est nisi ut ipsum non minus a vero aberrasse, quam ceteros, quos castigavit[2]), demonstremus. *Arbalonis* vocem igitur affirmat abiisse in Erpesfeld, qui vicus olim conspiciebatur prope Brilonem. Ex sententia Ledeburii syllabae *Arba* abierunt in *Erpe*, et *lo*, quod apud veteres Germanos *silvam* significabat, mutatum est cum *Feld*, postquam silva ibi est excisa[3]). Quae coniectura ad veritatem quam minime accedit. Vocubali quidem *lo* sive *loh* quin olim *silvae* esset significatio[4]), non est dubium, sed utrum *lo* revera illius nominis fuerit syllaba ultima, et ad silvam spectaverit, an potius id ceciderit in *lon*, quis est, quis decernat? Neminem autem vetustae Germanorum linguae peritum effugit, maximam vocabulorum partem exitum habuisse in *on*[5]). Attamen faciamus, vocabuli illius syllabam *lo* significavisse vere *silvam*, nunquam tamen accidisse credo, ut urbis vicive nomen deleta causa, ex qua erat exortum, cum alio sit mutatum. Nemo scilicet *Düsseldorf*

---

1) Ledeb. l. c. p. 302 seq. — 2) L. c. „Das ist ein verderblichen Weg der neuern Alterthumsforschung!" — 3) Ledeb. l. c. p. 304 „Die Endsilbe lo in Arbalo kommt in deutsch. Ortsnamen sehr häufig vor; sie bedeutet Wald. Feld im Gegensatze zu Wald deutet auf urbar gemachtes Land. Somit hätten wir dann in dem ältern Albalo od. Arpe-lo, Arpeswald das spätere Erpesfeld wiedergefunden, sowie wir in der silva Bacenis das heutige Battenfeld [?] u. in silva Cœsia das heutige Coesfeld [?] wiedererblicken." 4) Cf. Adelung Wörterb. III, p. 243. — 5) E. g. Paderbrunnon [cf. Pertz, l. c.] Hemmadasson, Balhornon, Erklon, Nutlon, Ascalon, Westfalon, Brilon [cf. Falcke, Tradd. Corb. pp. 109, 461, 752]. Idque ipsum est dubium, utrum Alison an Aliso scribendum sit, quoniam apud Dionem est Elison. Ego quidem „Arbalon" veram illius vocabuli esse formam arbitror.

appellabit *Düsselstadt*, neque, ut exempla illustriora afferam, nomina Osterloh, Westerloh, Gütersloh mutata sunt cum Osterdorf, Westerfeld, cet., quamquam olim lucis erant [1]), nunc vicis. Tum nullo modo ex illis Plinianis licet decernere, utrum montibus sive ipsis angustiis an vico illud fuerit nomen. Sive autem hoc tibi probatur, sive illud, neutiquam necesse est *Arbalonis* nomen in vicum esse translatum credas; nam id iam tum fuisse vico (Dorf) parum probabiliter statueris [2]); qui vero illis angustiis hoc nomen attribuit, ex eo consequi non potest contendere idem, id ad hunc usque diem per duo fere millia annorum iis adhaesisse vel in vicum postea loco illo angusto conditum esse translatum. Quibus de causis Ledeburii [3]) ceterorumque veriloquia missa faciamus et ad nostras quaestiones supra propositas respondere aggrediamur.

Investigandum est igitur primum, qua via Drusus a Visurgi ad Rhenum regressus sit. Quod ut assequi possimus, opus est ut prius qua via ad Visurgim processerit videamus. Sine dubio e *castris veteribus* egressus est, quoniam Lupiam posquam traiecit in Sigambros irrupit, qui a Lupia ad meridiem incolebant [4]). Per Sigambrorum terram ipsis insciis

1) Cf. Closterm. l. c. p. 111. — 2) Tac. Germ. 16, „Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes; colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.“ — 3) Etiam hanc notationem Ledeburii probari Kufahlio profecto miror. [Cf. Kuf. l. c. p. 182.] In hanc rem valent verba Schöpflini [Alsat. ill. I, p. 190]: „Coniectura, quæ nonnisi aliquam similitudinem nominum habent pro fundamento, dubiæ sunt et plane suspectæ, imo et falsæ plerumque, si non aliæ circumstantiæ verisimiles accedunt.“ Dr. Wilhelm [Feldzüge des Drusus p. 38] graviter reprehendit Reichardum, qui Arbalonis vocabulum in vicorum nominibus latere putet, quæ cadunt in „trup.“ Ipse vero paulo post Erpentrup ex „Arbalone“ ducit. — 4) Cf. Cæs. d. b. Gall. IV, 16, 18. Zeuss l. c. p. 85.

usque ad Visurgim progressus est, cum ii Chattis bellum inferrent. Si igitur Drusus tam celeriter hoc iter perfecit, ut Sigambri ad sua defendenda non satis mature protuerint accurrere, non dubium est, quin ille neque ad dextram neque ad sinistram conversus, sed in rectum profectus Visurgim attigerit. Cum autem esset moris Romanorum, ut in terris peregrinis, quoad fieri posset, secundum quendam fluvium progredirendur [1]), Drusum juxta Lupiam usque ad eius fontes exercitum promovisse non est infitiandum. Vix opus est, ut Wilhelmo [2]) occuramus, qui illum Lupiam transgressum ad dextram flectentem et per medios Sigambrorum fines ad Ruhram et inde ad Visurgim facit procedentem, quod nulla ratione probare studuit, nisi eo, quod Ptolemaeus [3]) duo oppida Sigambrorum, Amasium et Naeusium memorat, quorum alterum vicum esse Huisten, prope Arnsbergam locatum coniicit. Hoc coniicit, inquam, nam haec res tam incerta est, ut alius [4]) *Amisiam* haud procul Sosato, alius [5]) prope Brilonem, alius [6]) ad Amisiam, alius [7]) tandem ad Werram sitam fuisse opinatus sit. Minore etiam cum probabilitate Drusum paulum progressum in alteram Lupiae ripam rediisse credideris.

Neque cum ad Lupiae fontes pervenisset, ad dextram sinistramve eum se convertisse, sed via recta, ita ut montes Osningenses transgressus Netham fluvium sequeretur, usque ad Visurgim pervenisse et propter ceteritatem, qua profectus est, et ob studium

1) Cf. Closterm. l. c. p. 63, „Die Römer drangen an allen Flüssen, die sich in den Rhein ergiessen, stromaufwärts in Deutschland ein, und jede Armee, welche durch unbekannte Länder ziehet, wird sich an die Flüsse halten.“ — 2) L. c. p. 16. „Schwieriger ist es, die Richtung des röm. Heeres südlich von der Lippe zu bestimmen. Hier hat Ptolomæus 2 Städtenamen aufgezeichnet und diese nehme ich zur Richtschnur.“ — 3) Ptol. VIII, 2. — 4) Müffl. l. c. p. 10. 5) Mannert l. c. p. 556. — 6) Ledeb. l. c. p. 332. — 7) Kruse, l. c. p. 25.

eius quam longissime progrediendi negari non potest. Hoc quoque ex eo probatur, quod *Tropaea Drusi*, quæ sine dubio ibi exstructa erant, ubi ille Visurgim primum attigit, prope Huxariam correctæ Ptolemæi rationes sita plane ostendunt[1]).

Hic cum aliquamdiu[2]) commoratus esset, metuens ne a Sigambris, qui interea domum redierant, ceterisque hostibus[3]) a reditu intercluderetur, præsertim cum cibi inopia laboraret, sibi esse redeundum intellexit, et sine dubio viam decrevit repetere, in qua progressus erat[4]). Nam omnino est incredibile, eum tam fuisse temerarium, ut deficientibus cibariis et hostibus insidias parantibus prodigioque infausto viso[5]) exercitum per terram parum cognitam circuitu reduxerit[6]). Hoc valde confirmatur Flori testimonio:

---

1) Cf. Kufahl, l. c. p. 182. „Die Tropaea Drusi des Ptolemaeus bezeichnen ohne Zweifel den Ort, wo Drusus die Weser erreichte. Die Gradbestimmungen desselben 33°, 45′ d. L. und 52°, 45′ d. Br. treffen nach gehöriger Reduction auf die Umgegend von Höxter und der Diemelmündung, und diese Annahme erhält dadurch noch mehr Wahrscheinlichkeit, dass er die Quelle, d. i. das Entstehen der Weser aus Werra und Fulda unter 34° d. L. u. 52°, 30′ d. Br. setzt; und ein Blick auf die Karte zeigt, dass Drusus in der Umgegend von Höxter die Weser erreichte.“ Cf. Dr. Wilh. l. c. p. 15. Cf. Ledeb. l. c. p. 184. n. 636. et p. 303. 2) Drusum ad Visurgim non usque ad finem auctumni hiemisve initium consedisse apum examen visum satis declarat. Cf. Wilhelm l. c. p. 17. 3) Haud dubie Cherusci cum Sigambris Chattisque ad Romanos delendos sese coniunxerant, quod Florus testari videtur IV, 12. 4) Cf. Wilhelm, l. c. p. 20. Closterm. l. c. p. 60. „Die Landwege, welche die Römer gefunden, oder selbst gebahnt hatten, gaben sie nie wieder auf. Ausserdem lassen sich in gebirgigen Gegenden, wie in Westphalen, die von der Natur gleichsam angewiesenen Strassen nicht leicht abändern.“ 5) Cf. Dio l. c. σμῆνος . . . ὤφθη, cf. p. 23 supra. 6) Cf. Müffling, l. c. p. 24. „Wenn man die römische Disciplin zurückruft, und die grossen Forderungen, welche an die Soldaten gemacht wurden, so

Drusus validissimas inquit[1]) *nationes Cheruscos, Suevos et Sigambros pariter aggressus est; qui viginti centurionibus concrematis hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriae spe, ut praedam in antecessum pactione dividerent -- Sed omnia retrorsum. Victor Drusus....* Hæc verba referenda esse ad hanc Drusi expeditionem, Kufahlius[2]) subtiliter demonstravit, neque minus acute Zeussius[3]), eos, qui a Floro Suevi vocantur, Chattos fuisse docet. Quamobrem non videntur ii errare, qui Drusum in confiniis[4]) Cheruscorum et Chattorum Sigambrorumque ab iisdem esse circumventum existimant. Nam aut ipsa **Dimola** Chattos a Cheruscis dividebat, aut pauci illorum in sinistra, quam vocamus, eius ripa habitabant[5]). A Chattis Sigambri disiungebantur montibus Osningensibus[6]) a Cheruscis solitudine

---

werden damit alle Gründe klar, welche die Feldherrn bewogen, eine Strasse, welche von einem Heer einmal marschirt worden, jeder neuen vorzuziehen, selbst wenn diese näher und zum Marsch völlig geeignet war." Cf. G. Zeiss, röm. Alterthk. Jena 1843, p. 404. „Die Römer brachten auf dem Marsche keine Nacht zu, ohne ein verschanztes Lager aufzuschlagen," cf. Caes. d. b. Gall. VII, 36, Tac. Hist, IV, 71. — 1) Flor. l. c. — 2) L. c. p. 182. — 3) L. c. p. 94; Caes. d. bell. Gall. VI, 10. Luden, deutsch. Gesch. 1825, p. 661. Horum sententia corroboratur eo, quod Dio Drusum in Chattis Castellum exstruxisse et anno insequente bellum eis intulisse testatur (L. c. et. l. 55, 1.) — 4) Cf. Ledeb. l. c. p. 302. „Unfern der Cheruskisch-Chattischen Grenze, in der Nähe der Diemelmündung." (Dimolae ostium ab Huxaria XXV circiter millia passuum abest,) Cf. Luden l. c. — 5) Cf. Zeuss l. c. p. 107. „Die Strecke, welche die Cherusker auf dem linken Ufer der Weser bewohnten, ist von der Diemel abwärts zu suchen; hier gränzten sie mit den Chatten und Chamaven (?) zusammen." Cf. Kufahlius, qui de hac re doctissime disseruit l. c. p. 187; Dio Cass. 55, 1. — 6) Cf. Zeuss l. c. p. 96 seq.

Senna[1]). Hi igitur montes tribus nationibus erant interiecti, a quibus Drusus in angustiis inclusus esse traditur. Quæ cum ita sint, nihil esse probabilius facile est ad intelligendum, quam hæc: Ex regione Huxariæ Drusus copias eduxit et in rectum ad Lupiæ fontes contendit. In hoc itinere priusquam ad montes Osningenses perveniret[2]), ex insidiis hostes eum adorti sunt, cui rei regio montosa erat peropportuna. Cum autem illos inter montes versaretur sitos inter Driburgum vicumque Altenbeken[3]), Sigambri e bello cum Chattis gesto domum reversi, Drusum a fronte in faucibus montium considentes aggressi sunt, Chatti a sinistra, Cherusci a dextra tergoque eum subsecuti. Quare factum est, ut undique ab hostibus includeretur. Hinc etiam explicatur id, quod Dio Cass *hostes*, ait, *nullo ordine servato in Ro-*

1) Permagna ea et vasta planitia, quae inter fontes Lupiae montesque, quos Osning vocant, occidentem versus excurrit, Senna appellatur, quae olim Bructerorum, Cheruscorum, Sigambrorum sedibus erat interiecta. Cf. Tac. ann. I. 60, „ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum.“ Zeuss l. c. p. 85, 93. seqq. Closterm. l. c. p. 68. „Es trennte hier“ [bei Aliso] „die noch heutzutag nicht angebaute Einöde, Senne genannt, damals vier deutsche Nationen, die Cherusker, Bructerer, Sigambrer und Chatten; und es ist bekannt, dass die deutschen Völker die Gewohnheit hatten, beträchtliche Räume zwischen sich offen zu lassen.“ Cf. Cæs. l. c. II, 17, VII, 10, Tac. l. c. II, 19. — 2) Dio l. c. *καὶ ἄλλως τε αὐτὸν ἐκάκωσαν, καί ποτε ἐς κοῖλον, κ τ. λ.* — 3) Cf Wilh. l. c. p. 19, „Zwischen Höxter u. Paderborn bewegte sich der Rückzug der Römer; denn Drusus hatte gewiss diess Mal den nähern Weg eingeschlagen. Jene Rettungsschlacht fiel in einer Gebirgsgegend vor, wo es Schluchten und Engpässe gab. — Die Legionen waren also von der Weser durch die Gegend von Brakel und Driburg aufwärts gezogen, in die Gebirge und Waldungen der Egge“ [Osnegge, Egge.] Cf. Mon. Paderb. 1713, p. 64, „in vallibus et silvis circa Altenbecam.“

manos impetum fecisse; quoniam illæ tres nationes non uni duci subiectæ, ut singulis visum est, hostem invaserunt. Singulis autem devictis Drusus in campum pervenit, qui nunc est ager Paderanus [1]). Priusquam inde per Sigambros ad Rhenum rediit, ne omnia, quæ hoc bello sibi paraverat, desererentur, hostes qui summa cum audacia ipsum prœlio petierant, vicissim contemnens castellum in ipsorum medio ad Lupiæ Alisonisque fluviorum confluentes exstruxit [2]). Quo facto per Sigambrorum devictorum fines in via, quam procedens munierat [3]) ad Rhenum reversus est. Nam profecto nihil est, cur eum inter Lupiam Amisiamque per Bructeros nondum clade attritos iter sibi patefecisse credamus [4]).

§. 7.

Jam videas, quam præclare ea, quæ hactenus ex verbis Dionis Cass. supra prolatis elicuimus, in nostram sententiam conveniant; primum enim ager Elsensis Cheruscis et Sigambris, contra quos Drusum castellum Lupiæ apposuisse traditum est [5]), erat olim interpositus. Ubi vero id potuit facere, nisi in ipso-

---

1) Drusum neque ad Visurgim neque ad Lupiam ab hostibus esse cinctum, ex verbis Dionis haud difficile est intellectu, quippe qui Druso in terram Romanis conciliatam r e d e u n t i hoc accidisse memoriae prodiderit. — 2) Cf. Dio l. c. — 3) Videas quaeso ea, quae de hac re p. 28 seq. disputavimus. — 4) Cf. Müffling, l. c. p. 24, „Obgleich die Quellenschriftsteller nicht erwähnen, auf welchem Wege Drusus nach dem Rheine zurückging, so scheint es uns doch keinem Zweifel unterworfen, dass er sich auf demselben Wege zurückzog, den er vorgegangen war, durch die unterjochten“ [besiegten] „Sigambrer.“ Hanc sententiam is pluribus l. c. confirmat. Bructeros in utraque Lupiae ripa incoluisse maxime nobis probare voluit Ledeburius Arbalonis situ designato. Itaque ratiocinatio eius infirma est, quoniam in eo loco describendo eum erravisse supra demonstravi. Preterea suo sibi argumento confutatus est, quia Lupia dividebat dioecesim Monasteriensem a Coloniensi. Cf. Ledeb. l. c. p. 7; 15. — 5) Cf. Dio l. c.

rum terra aut saltem in limitibus? Sed quamquam supra patefactum est, Drusum a Cheruscis, Sigambris, Chattis apud Arbalonem esse inclusum, tamen non dubium est, quin Dio Cass. præcipue Cheruscos dicat hostes, quorum copias contemnentem Drusum [1]) illud ædificavisse narrat. In eorum enim terra et diutius consederat et prælio erat petitus. Qua de re Alisonem Cheruscis fuisse proximum vel in ipsis eorum finibus negari non potest. Vicus autem Elsen solitudini illi adiacet, qua Sigambros, Cheruscos, Bructeros inter se esse disiunctos supra [2]) exposuimus, neque plus XXV millia passuum distat ab ea parte montium Osningensium, in qua Drusus ab hostibus circumventus est. Sed haudquaquam hæc quadrant in regionem, quæ Lupiam et Liesam interest, utpote quæ a sedibus Cheruscorum longius abesset, et a Bructeris habitaretur, quibuscum Druso nihil erat rei.

Tum regio Elsensis in ea ripa Lupiæ est, in qua et Drusus ad Visurgim profectus est et inde rediit, et ex eo tempore via militaris Romanorum ad Rhenum ferebat. Nam haud dubie ille providit, ne castellum in mediis hostibus positum a Rheno intercluderetur, quod nullo modo melius fieri poterat, nisi via limitibus aggeribusque permunita et parvis castris stativis Alisoni Rhenoque interiectis. Quam rem ita fuisse testatur Tacitus [3]) qui *a Germanico* prodit *cuncta inter Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.* Ceterum viam ita munitam inter Alisonem ac Rhenum et fuisse et per Sigambros i. e. in ea Lupiæ ripa, in qua Elsena est collocata, iuxta Lupiam duxisse præclara illustris Müfflingii [4]) disputatione satis pate-

1) Cf. Dio, l. c. *ὥςτε Δρούσον ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν . . . φρούριον τι σφίσιν ἐπιτειχίσαι.* — 2) Cf. p. 30. seq. — 3) Cff. Ann. II, 7 et supra p. 17 a nobis disputata. — 4) Cf. l. c. p. 26, „Wenn nun zwar daraus (dass Drusus zweimal auf dem linken Ufer der Lippe

factum est. Deinde, quæ Drusi erat prudentia atque astutia, castello exstruendo certe locum aptissimum elegit. Cum enim eo collocando et facere vellet, ne fructus e victis Cheruscis, Sigambris, Chattis percepti mitterentur[1]) et inde imperii proferendi consilia persequi cuperet[2]); ad utramque rem assequen-

marschirte und jeder Feldherr so oft als möglich eine einmal benutzte Strasse jeder andern vorzog), nicht erwiesen werden kann, dass von Drusus Zeit an bis 16 n. Ch. keine andere Verbindungsstrasse vom Nieder-Rhein nach Aliso Statt hatte, als am linken Ufer der Lippe; so spricht doch folgender Umstand dafür: Nachdem Tiberius im J. 9 v. Ch. den Oberbefehl an der Stelle des Drusus übernommen hatte, war seine erste Unternehmung, dass er einen (sehr grossen) Theil der Sigambrer zur Auswandrung nöthigte.“ (Cf. Sueton. Octav. 21, Tib. 9. Zeuss, l. c. p. 85) „Was konnte er hierzu für einen andern Zweck haben, als dass er sich dieser Verbindungslinie zwischen dem Rhein und Aliso versicherte? - - Hierdurch wurde er Eigenthümer des Höhenstrichs zwischen Lippe und Ruhr. - - Hierfür spricht ferner, dass innerhalb der Marsch-Gegenden zwischen Lippe und Ems sich keine Spur eines Aufenthalts der Römer, keine Bauwerke, keine Gräber, weder Römerstrassen noch Römerläger finden. Alles, was darüber erzählt, geschrieben und von den Schriftstellern in gutem Glauben aufgenommen ist, hat sich bei (meinen) nähern Untersuchungen nicht als richtig bewährt.“ Hanc sententiam Müffiingius magis stabilivit iis, quae l. c. p. 60, de Germanici expeditione anno XV suscepta disseruit. —
1) Cff. ea, quae p. 25 sqq. de hac re dicta sunt. — 2) Cf. Wilhelm Germ. p. 72, „Wenn wir übrigens die Stelle des Dio Cassius und den Gang der Begebenheiten, welche die Erbauung Aliso's zur Folge hatten, genau erwägen, so kann meine Angabe, (dass Aliso bei Elsen gelegen habe) nur an Wahrscheinlichkeit gewinnen. Drusus baute dies Castell den Cheruskern und den ihnen verbündeten Völkern zu Trutz; er wollte dadurch zugleich die Verbindung zwischen den Chatten und Bructern verhüten, und von hieraus die Unternehmungen jener Völker genau beobachten. Ferner sollte Aliso zu einer nahen Verbindung mit der Weser dienen; sie sollte der Schlüssel sein zu den Gebirgspässen des Teutoburger Waldes. Kein Ort bot

dam nullum aptiorem opportunioremque poterat eligere locum, quam agrum Elsensem. Nam primum eius pars, in qua vicus est situs, molliter assurgit, locisque, quæ circumiacent imminet. Tum orientem versus Alma fluvio, ad septentriones Lupia, ad occasum meridiemque paludibus rivulisque erat is ager munitus ab incursu hostium. Quapropter castro ponendo generatim erat idoneus, sed præcipue castello a Druso exstructo, cum in medio situs esset et earum nationum, quas victas et coërcere et custodire volebat, et aliarum, quas in suam patestatem redigere studebat. Cum autem imperium trans Visurgim proferre constituisset, priusquam montes Osningenses transiret, ut a tergo tutus esset, ipsi erat videndum. Id vero optime assequi poterat castro Almæ ostio adiecto, quod tanto intervallo a montibus illis abest, ut castellum ei appositum ab hostibus de illis profectis haud facile de transverso posset occupari, sed eos montes ex adverso transituris sine magno labore auxilium inde afferre liceret. Neque montes Alisonem inter et Rhenum reperiuntur, quamobrem et comme-

zu diesem allen eine passendere Lage dar, als die durch Flüsse und Sümpfe gesicherte Höhe am südwestlichen Ufer der Almemündung; und sollte ein so ausgezeichneter Feldherr, wie Drusus, diese Localvortheile nicht benutzt haben?" Cf. Müffl. l. c. p. 18, „Dio C. bemerkt ausdrücklich, dass Drusus durch die Anlage von Aliso den Germanen zeigen wollte, dass er unüberwunden sei, und ihren Angriffen trotze. Diese Nachricht würde hinreichen, um Aliso ganz in der Nähe des Teutob. Waldes (Osning, Egge) zu suchen, weil diese Anlage in einer grössern Entfernung dem Zwecke, den Germanen (Cheruskern) zu trotzen, in keiner Art entsprechen konnte." Closterm l. c. p. 69, „Mit ungemeiner Klugheit hatte Drusus diesen Platz (bei Elsen) gewählt; die Römer liessen sich hier mitten zwischen 4 Völkern nieder, ohne das eine oder das andere in seinem Eigenthume zu beeinträchtigen. Die Römer hatten hier die grosse Gebirgskette in einem weiten Bogen vor sich, und konnten alle Pässe derselben in der Nähe erforschen."

atus facillime Alisonem advehi poterat, indeque ulterius progressis legionibus distribui. Denique Alisonis locum agrum esse Elsensem assumpto facile explicatur, quare Dio Cass., quamquam aliud castellum in Chattis conditum perhibet, hostes, quibus Aliso fuerit impositus, non nominatim commemorarit. Liquet enim ex superioribus, hostes ab eo dictos esse Sigambros et præcipue Cheruscos. Cum vero neque in horum neque in illorum finibus id castellum steterit, sed in vasta solitudine utramque gentem dividente, generatim id hostibus impositum refert.

Postremo Elsena confinis est confluentibus Lupiæ fluviique, quem hodie Alme vocant. Huius nomine omisso, omnia, quæ hactenus ex Dionis Cass. loco eruimus, optime nostræ sententiæ convenire vidisti. Sed non dubium est, quin *Alme* olim *Aliso* appellaretur, quod ut argumentis doceatur iam reliquum est.

§. 8.

Quoddam castellum Lupiæ et Alisonis fluviorum confluentibus adiunctum esse Dio Cass.[1]) narrat, Alisonis castelli Velleius[2]) et Tacitus[3]) mentionem faciunt. Quorum omnium e locis inter se collatis, castellum vicini fluvii nomine appellatum esse, supra[4]) probabiliter exposuimus. Sed quamvis hæc res veri quam simillima videatur, tamen nec ullius veterum scriptoris testimonio prorsus confirmatur, nec tam certa tamque explorata est, ut impugnari nequeat. Quam ob causam primum ponamus Grupenio[5]) quasi assentientes, Dionem Cass. in eo errasse, quod nomen fluvio cum Lupia confluenti attribuerit, quod castello confluentibus iis proximo erat. Hoc igitur posito Alisonis castelli reliquiae investigandae sunt prope locum, ubi in Lupiam effunditur quidam fluvius, cuius nomen nunc quidem est omittendum.

1) L. c. — 2) L. c. — 3) L. c. — 4) Pag. 10 seq. — 5) L. c.

Qui ea, quae hactenus disputavimus, diligenter consideraverit, is fatebitur, Alisonem saltui Osning fuisse proximum, a quo non plus, quam milliarium Germanicum abest vicus Elsen. Hoc vero nomine praeter numos armaque Romana[1]), quae haud raro ibi effodiuntur, Alisonis locum designari memoriamque conservari mihi est persuasum. Neque difficile est probatu, hoc nomen ex Alisone esse ducendum. Ut primum quid exemplis praestari possit videamus, fluvius, unus eorum, qui in Mosellam influunt, saeculo octavo nominabatur *Alisontia*,[2]) nunc *Else* sive *Elze*. Eadem ratione vocabulum *Elisatia*,[3]) sive *Alisas* abiit in *Elsass*. Sed luculentum huius rei exemplum est nomen vici *Helsen*[4]), qui nono saeculo *Heliso* vocabatur. Accedit, quod vicus *Elsen* saeculum usque ad undecimum *Helison* appellabatur, quare hoc nomen ex *Alisone* profectum esse satis exemplis probatum puto.

Jam igitur historice explicandum est, quomodo factum sit, ut castelli deleti nomen vico imponeretur. Hic autem ita est locatus, ut turris in eius medio posita a confluentibus ipsis Lupiae Almaeque mille ducentos passus distet, sed alia utriusque amnis pars vico multo propior sit[5]). Si vero collem, in quo

1) Permagnam rerum antiquarum et Romanarum et Germanicarum, quae in agro Elsensi alibique repertæ sunt copiam conquisitam Paderbornae asservat ille doctissimus deque historia Guestphalica meritissimus Dr. Gehrken, societatis historicae Guestph. director. — 2) Cf. Grupen, l. c. p. 96. — 3) Cf. Pertz, l. c. I, p. 426. Zeuss, l. c. p. 318. „Alisas, [vgl. althd. alirarto, ein Fremdredender.]“ — 4) Situs est in terra Gualdeccensi, prope urbem Volkmarssen; W. B.-Wenck, Hess. Landesgesch. II, p. 366. Falke, Tradd. Corb. reg. Sarach. Nr. 224. 4, Mon. Paderb. p. 10, „In documentis antiquis ann. 1058, 1107, 1209 Helison, Hilesan, Helsen appellatur.“ — 5) Ledeburius in distantia locorum ex tabulis geographicis dimetienda saepe erravit. Sic vicum Elsen milliarii [Germa-

turris eminet, castelli medium fuisse suspicor, id neque verbis Dionis Cass. iam sæpius allatis neque Taciti *castellum Lupiae appositum*, ullo modo repugnat neque etiam dubium est, quin castelli nomen in vicum, aut tempore, quo Aliso staret, aut postea conditum transferretur.

Plerumque enim apud castra Romanorum stativa multum his erat commercium cum iis, in quorum finibus versabantur, quorumque nonnulli lucri causa circa castrorum valla sedem ac domicilium constituebant; idque eo plures fecisse, quo diutius castra starent, per se patet[1]). Hinc permultos vicos urbesque ad Rhenum exortos esse neminem historiarum peritum fugit. Quidni idem apud Alisonem accidisse existimemus? Nam plus viginti annos Romani Alisone commorati sunt, et huc praecipue referendum est, quod apud Dionem Cass.[2]) est: *Loca quaedam Germaniae Romani* (Vari tempore) *tenebant*, -- *in quibus eorum milites hibernabant; oppida condebant; mores eorum iam barbari accipere, in forum convenire, congressusque cum iis placidi habere.* Quapropter falli mihi

---

nici?] quartam partem a Lupia abesse, affirmat, sed dimidio ei est propior; et ostium Almae, quod milliarii dimidium a Neuhusio distare contendit, vix ducentos passus ab hoc vico abest. Cf. Ledeb. l. c. p. 292. — 1) Cf. Luden d. Gesch. 1843, p. 84, „Das Lager erhielt bald das Ansehn einer Stadt; (?) gewerbtreibende Menschen siedelten sich ringsher um so mehr mit Vertrauen an, da ihnen Aliso Sicherheit gewährte.“ Cf. Barth, Urgesch. p. 487. Horrion l. c. p. 61, „non vana est coniectura, totum cum campum, qui medius est inter confluentes“ [Lupiae et Almae] „et exstremos vici“ [Elsen] „fines, frequentibus domiciliis habitatum, et ita non mediocrem ibi fuisse civitatem.“ — 2) L. 56, c. 18. *εἶχόν τινα οἱ Ῥωμαῖοι αὐτῆς (Γερμανίας) καὶ στρατιῶταί τε αὐτῶν ἐκεῖ ἐχείμαζον καὶ πόλεις ᾠκίζοντο, ἔς τε τὸν κόσμον σφῶν οἱ βάρβαροι μετεῤῥυθμίζοντο, καὶ ἀγοράς ἐνόμιζον, συνόδους τε εἰρηνικὰς ἐποιοῦντο.*

non videor, si putaverim, etiam circum Alisonis valla complures Germanorum sedes fixisse ac domicilia collocavisse, et in ea castelli, postquam eversum est, nomen transisse. Quod quantumvis per se probabile videatur; tamen fortasse vicum Elsen iam Romanorum tempore constitutum esse quispiam negaverit. Neque etiamsi id concederemus, tamen castelli devastati nomine vicum in ea regione pluribus sæculis post conditum appellatum esse ullo pacto est infitiandum. Hoc ita potest satis probari. Romani, si omnem rem spectas, in Germania interiore haud diu commorati sunt; nam procedebant et redibant; neque ullo fere loco perdiu continuo considebant, neque cum incolis permultis commercium habebant. Hinc factum est, ut nomina aut a Romanis aut ab incolis locis memorabilibus imposita paulatim exolescerent. Vocabula enim a Romanis inventa intercidebant simulatque ipsi illinc discesserunt. Idem accidit nominibus a Germanis singulis locis inditis. Si enim ea loca in regionibus parum frequentibus vel desertis erant sita, nec naturali quadam nota satis notata; paucis annis interiectis agre a gente circumhabitante, nedum a peregrina, quae interea illuc immigraverat, inveniri poterant. Hæc ipsa est causa, cur hunc usque ad diem neque Arbalonis neque cladis Varianæ locum accurate quisquam possit indicare. Sed res longe aliter se habet, si Alisonis situm in quæstionem vocamus. Per totam enim hominum aetatem hoc castrum inter quatuor validissimas Germanorum nationes stabat[1]), quod Sigambri, Bructeri, Cherusci, Chatti tanquam s e r v i t i i   m o n u m e n t u m[2]) intuebantur. Pluries est obsessum, devastatum, restitutum[3]). Innumerabiles Germanorum copiæ Alisonem florentem et

1) Videsis ea, quae supra p. 33 disserui. — 2) Cf. Tac. hist. IV, 64. — 3) Cf. Vell. II, 120 „qui una Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur.“ Tac. Ann. II, 7. Cf. §. 12, huius libelli.

cadentem viderant. Quæ cum ita sint, quis tandem est, qui illius celeberrimi castelli nomen, paulo postquam illud deletum est, omnino exolevisse, sed fluvioli [1]) vocabulum ad hanc usque horam pæne immutatum, esse conservatum sibi persuadeat? Accedit, quod illud confluentibus duorum fluviorum adiunctum erat. Nonne igitur eius locus quippe satis natura notatus etiam multis post sæculis facillimus erat inventu? Quæ omnia qui diligenter reputaverint, licet circa stantis Alisonis valla domicilia esse exstructa negaverint, tamen ii non poterunt, quin castelli devastati nomen reliquiis quasi adhaerens in vicum postea in agro vicino, a Romanis exculto, collocatum transiisse concedant.

Attamen haec assecuti sumus interim concedentes, Dionem Cass. in eo errasse, quod *Alisonis* nomine appellet fluvium, quod erat castello, neque ulla nominis fluvii, qui prope Alisonem in Lupiam influebat, ratione habita. Veruntamen Dionem Cass. non errasse, sed potius castellum fluvii propinqui nomine Alisonem esse vocatum, multo, ut supra [2]) demonstravimus, est probabilius. Quodsi nobis probatur, uno quasi ictu omnis ratiocinatio mea infringetur, nisi Almae fluvio olim *Alisoni* nomen fuisse argumentis doceri poterit. Hoc vero facile est ad demonstrandum. Vocabulum *Alisonis* sensim pedetentimque in *Alme* abiisse alii affirmant, alii, inter quos Ledeburius [3]), negant. Certum quidem est, pagum eum, qui huius fluvii fontes continet, saeculo decimo Almunga vocatum esse, sed non est negligendum

1) Dico Liesam; vid. supra §. 5 allata. — 2) Cf. p. 10, sq. h. lib. — 3) Cf. l. c. p. 292, „Da man bei Elsen keinen Fluss gleiches Namens fand, so nahm man seine Zuflucht zur Alme; diesen Namen können wir aber im Almegau bis ins zehnte Jahrhundert zurück verfolgen.“ Cf. Kunst- und Wissersch. Bl. z. Rhein. Westf. Anzeiger, 1822, Nr. 19.

id, quod inde a tempore Dionis Cass. usque ad id, quo Almunga primum esse in litteris scimus, octo novemve saecula praeterierunt, quo quidem temporis spatio *Alisonem* in Alme potuisse abire quis audeat negare? Cum autem ex Dionis Cass. verbis intelligas[1]), fluviorum, qui cum Lupia miscentur, unum Alisonem esse appellatum; hinc necessario consequitur, hoc nomen aut valde immutatum aut cum alio commutatum esse, quoniam nusquam hodie invenitur. Vocabulis autem *Alisonis* et *Alme* prima saltem syllaba communis est, neque difficile est explicatu, qua de causa illud nomen tantopere sit immutatum. Nam cum fluvio et castello ei apposito unum idemque esset nomen[2]), fieri non potuit, quin saepissime alter cum altero confunderetur. Hoc iam satis erat causae, cur de immutando aut fluminis aut castelli nomine cogitari posset; sed haec res sua sponte facta est. Quo gravius enim illustriusque castrum esse coepit, eo clarius celebriusque eius nomen fierit oportuit[3]), eoque magis fluvii nomen delituit et paulatim vel admodum immutatum est, vel omnino exolevit. Quod quamvis quam proxime ad verum accedere videatur, tamen quin uno exemplo hanc rem illustriorem ac probabiliorem reddam non possum. Fluviolus *Aa* in agro Driburgensi ortus vicum *Riesele* praeterfluit pluribusque ante saecula et ipse *Riesele* vocabatur[4]). Sed cum vicus nomine fluvii postea appellaretur, hic principale nomen amisit totusque sicut superior eius pars *Aa* nuncupabatur. Paene idem *Almae* fluvio contigisse eo maiore probabilitate credideris, quo maiore gloria Aliso, quam ille vicus floruit.

---

1) Cf. Dio, 54, 33; p. 23 h. disp. eius ipsa verba prolata sunt. — 2) Cf. p. 11 supra dicta. — 3) Quam celeber Aliso fuerit, supra p. 39 petefactum est. — 4) Litterae ann. 1036, quae in tabulario ecclesiae cathedralis Paderbornensis asservantur, „piscaturam in fluvio Rysele, qui pagum Rysele praeterfluit.“

Itaque de Dionis Cass. loco supra allato utcunque iudicas, sententiae eorum, qui Alisonem Almae ostio adiunctum fuisse censent, eum quam optime convenire nulla ratione potest negari. Iam pergamus ad illustranda ea, quae Velleius de Alisone commemorat.

§. 9.

Ut omnia ad cognoscendum sint illustriora, iterum Velleii[1]) verba iam supra allala in conspectu ponamus. *Tutela imperii eum*, inquit (Tiberium) *veris initio reduxit in Germaniam, in cuius mediis finibus ad capud Lupiae (Iuliae) fluminis hiberna digrediens princeps locaverat.* Haec verba a multis ad Alisonem relata esse iam supra significavi. Quod utrum suo iure fecerint an temere priusquam diiudicamus, decernatur oportet, utrum h. l. *Lupiae* an *Iuliae* legendum sit. Quamquam omnes vetustiores historiarum Velleianarum editiones scripturam *Iuliae* tenent; tamen plurimi recentiorum[2]) cum Lipsio *Lupiae* scribendum esse recte censent. Unus enim ille codex, qui saeculo decimo sexto repertus eas operum Velleii partes continebat, quae supersunt, tam mendose erat descriptus, *ut nihil esset non depravatum et in singulis paene verbis haereretur*[3]). Qui cum iam dudum perierit, editionis principis aliarumque *Iuliae* scriptura levissimi est momenti, neque dubium est, quin *Lupiae* legendum sit. Primum enim formarum *Lupiae* et *Iuliae* tanta est similitudo, ut illa facillime posset haberi pro hac, praesertim a librario, de quo Beatus Rhenanus[4]) *ausim iurare* inquit *eum, qui illum codicem descripserat, ne*

1) Vell. II, 105, cf. p. 14 huiusce libell. — 2) Krause, Kreyssig, 1836; Bothe, 1837; Kritzius, 1840, qui historias Velleii ediderunt — 3) Sunt verba ipsa B. Rhenani, qui primus Velleii opera edidit; cf. Kritz. prolegg. ad. Vell. p. 77. — 4) Ibid.

verbum quidem intellexisse Deinde an ulli fluvio *Iuliae* nomen a Romanis inditum fuerit est incompertum: certum est, hoc nomen non parvo fluvio impositum esse; nam Velleium hibernorum situm significaturum fluviolum ignotum nominasse, veri quam dissimillimum est, et vocabulo *fluminis* nomini *Lupiae* apposito (*ad caput Lupiae fluminis*) confirmatur, quoniam *flumen* fluvium magnum significat[1]). Atqui si *Iuliae* nomen fluvio maiori sive flumini erat, cur omnino exoleverit non potest intelligi, cum omnia flumina ea nomina, quae Romani prodiderunt, paene immutata adhuc servaverint. Hoc eo valet, ut nunquam ulli flumini nomen *Iuliae* dicamus fuisse. Ceterum in illa regione Germaniae mediae, in qua Romani hibernare solebant, nullum fluminis nomen reperitur, quod ad *Iuliae* formam propius accedat, quam *Lupiae*, quibus rationibus adducor ut pro *Iuliae*, scribendum esse *Lupiae* credam.

Itaque iacto fundamento firmo, quo nitamur, controversia supra significata disceptanda est. Ego vero nec possum iis astipulari, qui Tiberii hiberna ab Alisone magno intervallo fuisse remota[2]), neque iis qui illis Velleii verbis omnino nihil aliud nisi Alisonem ipsum dictum esse existimant, quamquam hi veritati sunt proximi. Nam Tiberius castris in medio hostium, qui nondum Romanis subiecti erant, relictis non esset ausus Romae hiemem transigere, nisi castellum hibernis proximum militibus in media Germania hibernantibus commeatus praesidiumque

1) Cf. Herzog ad Baes. d. b. Gall. I, 1, „„Flumen", ein Strom, gewöhnlich schiffbar oder sich selbst ins Meer ergiessend; „fluvius" analog dem „rivus" bezeichnet mehr das Flussbett." — 2) Cf. Grupen, l. c. p. 89, „Die hiberna ad caput Lupiae a Tiberio locata sind weiter nichts gewesen, als blosse Winterquartiere."

praebuisset[1]). Quod quidem non aliud fuisse atque Alisonem, ex eo percipitur, quod praeter eum nullum Lupiae appositum commemoratur. Neque iis, qui *hiberna Tiberii ad caput Lupiae locata* a Velleio tumide et per ambitum verborum dicta esse putant pro *Alisone*, repugnat id, quod ostium Almae a proprio Lupiae fonte decem millia passuum distat. Praepositioni enim *ad* neque ea inest vis, ut aliquid alicui rei quam proximum esse significet[2]), neque *caput fluminis* idem valet, quod eius *fons*, sed supremam partem, quae plerumque e pluribus fontibus rivulisque efficitur. Ceterum ad Neuhusium Lupia et Patra in unum confluunt, quorum ille et olim *minor Lupia* appellabatur, et revera multo minor est, quam hic. Inde suspicor fluvium, cui nunc Patrae est nomen, olim Lupiam magnum vel proprie Lupiam esse vocatum[3]). Patrae autem fontes ab ostio Almae vix quatuor millia passuum absunt. Has ab causas[4]) verba Velleii *hiberna ad*

---

1) Cf. Wilhelm, German. p. 72, „Das Winterlager des Tiberius an den Quellen der Lippe währe ein zu tollkühnes Unternehmen, welches dem Character dieses Feldherrn durchaus nicht entsprechen würde, wenn -- das wohlbefestigte Aliso sich nicht ganz in der Nähe befunden hätte. Desshalb suche ich auch dieses Castell auf der Stelle, wo -- Elsen liegt.“ Luden l. c. 1825, p. 653. „Hiberna Tiberii; ohne Zweifel zu Aliso, das immer grösser und fester ward. Ad tutelam imperii, also scheinen die Deutschen neue Gefahr gedrohet zu haben.“ — 2) Cff. interpp. ad Caes. 1 c. 7, Cic. ad Dio. III, 8, 1. — 3) Cf. Horrion, l. c. p. 76 „Romanis certe hi (Paderae) fontes, Lupiae fontes perinde dicebantur, atque ille Lippespringensis, atque adeo, qui nobis Patra est, non alius ac Lupia.“ cf. Mon. Paderb. p. 155 seq. — 4) Scis igitur, quid iudicandum sit de Ledeburianis „Aber wie dürfen wir Elsen an der Lippe-Quelle nennen? wie können wir den Befestigungen Aliso's eine Ausdehnung von Elsen bis Lippspring geben? Quamquam hoc inter Lupiam et Liesam, qui paulo minore inter se distant spatio quam Elsen et Lippspring, factum esse contendit, tamen idem inter haec loca fieri potuisse negat. Cf. Ledeb. l. c. p. 300, 298.

caput Lupiae nullo modo discrepant ab sententia eorum, qui haec hiberna Alisone, i. e. in agro Elsensi contendunt fuisse. Attamen ego a Velleio haec verba neque tumide neque per ambitum sed consulto atque cogitate dicta esse mihi persuasi. Tiberius sine dubio magnum exercitum pluribus locis hiemandi causa disposuit, ut finitimae gentes facilius observari, custodiri, coerceri possent. Neque veri est dissimile, ut paucis annis post Varo, sic Tiberio tres legiones in Germania media fuisse, quas singulas Alisone, Lippspringae, Paderbornae hiematum divisas esse haud temere mihi videor coniicere[1]). His enim locis etiam Carolus magnus et saepius castra posuit et principum Saxonum habuit conventus[2]), et ad Patrae fontes iam illius tempore vicum fuisse permagnum Francorum scriptores tradiderunt[3]), cuius fundamenta Romanorum castris ibi positis iacta esse probabiliter coniicias[4]). Accedit, quod Patrae fontes insignes sunt calore, qui aquae eorum per hiemem inest, qua de re hic locus hibernis erat opportunus. Praetera ipsa Velleii verba docere videntur, a Tiberio quoque legiones singulis iis locis dispositas esse hibernandi causa; nam neque *Alisone* dicit, neque *ad Lupiae fontem*, sed *ad caput*, id

1) Cf. Clostm. l. c. p. 75; „Da Lippspring u. Elsen kaum eine Meile von einander entfernt liegen, so kann man ohne Gefahr eines Irrthums Aliso und die hiberna Tiberii ad caput Lupiae für gleichbedeutende Ausdrücke halten, indem höchst wahrscheinlich die Linien der Römer bis dahin von Aliso aus fortliefen. Tiberius führte eine zahlreiche Armee, welche sich nothwendig weit ausdehnen musste.“ — 2) Cf. Pertz, l. c. p. 32, 75, 156 seq. — 3) Ib. p. 156. — 4) Ad haec loca quoque spectant Dioniana „πόλεις ᾠκίζοντο,“ cf. p. 47 huius lib. Praeterea fluvio in urbe Paderborna scaturienti „Patrae“ nomen a Romanis inditum esse coniicio; nam haec est principalis huius vocabuli forma, quod quidem a primis rerum Germanicarum scriptoribus confirmatur. Cf. Pertz, ll. cc.

est, ad supremam Lupiae partem hiberna esse sumpta. Quae omnia quantopere nostri sensui conveniant, liquet.

§. 10.

Omisso nunc Velleio ad ea recognoscenda transeamus, quae Tacitus de Alisone memoriae prodidit. Quamquam iam supra in sententiis adversariorum refutandis ex prolato Taciti [1]) loco effecimus, Alisonem Lupiae fuisse appositum: tamen ex eodem cum alio eius collato elici potest alterum argumentum gravissimum. Tacitus [2]) enim narrat, sexto post cladis Varianae anno Germanicum inter Amisiam et Lupiam amnes progressum in saltum Teutoburgiensem penetrasse ibique Vari legionumque reliquiis tumulum posuisse. Loco autem supra laudato [3]) *ipse* (Germanicus), inquit, *audito castellum Lupiae flumini obsideri, sex legiones eo duxit. --- neque Caesari copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus eius dilapsi. Tumulum tamen nuper* (anno ante) *Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram, -- tumulum iterare haud visum, et cuncta inter castellum Alisonem ac Renum novis limitibus -- permunita.* Quae quicunque diligenter inter se comparaverit is fatebitur, Alisonem a cladis Varianae locis haud ita magno intervallo abfuisse. Idem hoc corroboratur Frontini [4]) testimonio, qui *reliquos e clade Variana* refert *esse obsessos;* quod nusquam nisi Alisone factum esse Velleius [5]) et Dio Cass. [6]) confirmant. Ceterum patet per se, Alisonem eius cladis

1) Ann. II, 7. — 2) Ib. I, 60 seq. — 3) Ib. II, 7. — 4) Strateg. III, 15, 4. — 5) Cf. II, 120, „Alisone circumdati obsidebantur.“ — 6) Cf. Dionis C. fragm. H. R. ed. Morellius, Bassani 1798, p. 39, *καὶ τὰ ἐρύματα πάντα κατέσχον οἱ βαρβαροι ἄτερ ἑνός.*

locis non quam proximum fuisse, neque opus est, ut Germanicum iterum cladis campum visitasse arbitremur, unde elucet, cur Tacitus *tumulum iterare haud visum* dicat, sed *aram restitutam;* nam haec sine dubio in vicinitate Alisonis erat sita, ille ab hoc decem saltem millia passuum distabat montesque inter utrumque interpositi erant. Quae cum ita sint, quaerendum est, num ager Elsensis cladis Varianae locis tam propinquus sit, ut et milites Romani ex hac elapsi ad eum possent pervenire, et Germanicus ad eundem proficiscens tumulum legionibus structum a barbaris disiectum esse comperire posset.

III.

§. 11.

Quamquam tot tamque graves viri de cladis Varianae loco, ut supra memoravi, scripserunt, ut magis taedium lectoribus iniecturus, quam facturus operae pretium videar: tamen non possum, quin de eadem re, cum omnia ea, quae ab illis viris disputata sunt, neque cum iis, quae veterum scriptores trandiderunt, conciliari possint, neque firmo nitantur fundamento, tantum exponam, quantum quaestio de Alisonis situ instituta postulare videtur. Quod quantopere opus sit facere ut intelligatur, uno exemplo, ab illis nihil esse allatum, in quo acquiescere possimus, docere placet. Sententiam Clostermeieri [1]), Germanos primum in Varianas legiones impetum fecisse ad Visurgim, omnes fere viri docti secuti sunt. Verum hanc sententiam nulla re ille confirmare conatus est, nisi duobus veterum locis. Quorum alter est Velleii Pat.[2]), *subacti Caninefates*, inquit, *Bructeri*, *receptae Cheruscae gentes et amnis mox nostra clade nobilis transitus*, *Visurgis.* Sed hunc locum

1) De hac re alias plura scribemus. — 2) Vell. II, 104.

prius pessime corruptum viri doctissimi [1]) sic restauravere: *subacti Caninefates - - - recepti Cherusci, gens utinam minus mox nostra clade nobilis; transitus Visurgis, penetrata ulteriora.* Vocabulum *nobilis* igitur ad Cheruscos, non ad Visurgim referendum esse patet. Alter locus, quo Clostermeier nititur, est Dionis Cassii [2]), qui Varum a Rheno versus (πρὸς) Visurgim abductum esse tradit, ex quibus verbis neutiquam, eum usque ad Visurgim processisse potest concludi. Hisce satis patefactum esse puto, quam debili ratiocinatione Clostermeier sententiam suam stabiliverit, quare firmiora assequi conabor.

Tacitus Varo cladem allatam esse ostendit in saltu Teutoburgiensi. Itaque is saltus ubi sit quaerendum est. Apud Tacitum [3]) haec sunt: Germanicus sexto post cladem Varo allatam anno *Caecinam, cum quadraginta cohortibus ad flumen Amisiam per Bructeros mittit. Equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit, ipse impositas navibus quatuor legiones vexit; simulque pedes, eques, classis apud praedictum amnem convenere. Bructeros sua urenteis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur. Igitur cupido Caesarem invadit, solvendi suprema militibus ducique. - - - Praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, ince-*

1) Vell. Pat. ed. Kritzius, Lips. 1840. ad h. l. — 2) L. 56, 18. — 3) Ann. I, 60 sq.

dunt moestos locos visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata — — Hic igitur locus, ubi Vari legiones occisae sint, accurate indicat, dummodo incorrupte integreque percipiatur. Attamen non facilis est ad explicandum, praesertim iis, qui opinione praeiudicata ducti eum aggrediuntur.

Cum enim eius exercitus, cui Germanicus praeerat, pars navibus in Amisia adveheretur, omnes eius copiae eo convenisse videntur loco, ubi nunc sita est Rheina [1]) urbs, ultra quam is amnis graves contra aquam navigantes naves perferre nequeat. Inde Germanicum orientem versus viaque recta per agrum Osnabrugensem et Stertinium inter Amisiam Lupiamque prorupisse alii [2]) contendunt; aliis [3]) contra videtur ille hunc inter utrumque amnem praemissum secutus, quorum in sententiam concedere non dubito; nam illi in errorem sunt ducti eo, quod Varum castra Visurgi apposuisse opinabantur. Cum enim e verbis Taciti temere colligerent, Germanicum primum ad prima Vari castra dein ad altera pervenisse, hoc nullo modo fieri potuisse, concludunt, nisi a media Amisiae parte orientem versus procederet, et dein ad dextram conversus, sicut Varus a septentrionibus in eum saltum penetraret. Quam ratiocinationem iacere apparet, quoniam id, quod Varum a Visurgi profectum esse proponunt, incertum est falsumque [4]). Sed dubitare non poteris, quin ipse Germanicus inter Amisiam et Lupiam amnes procederet, si Taciti verba

1) Cf. Müffling, l. c. p. 44, Ledeb. l. c. p. 214, cf. Tac. Ann. II, 8. „peccatumque in eo, quodnon subvexit." — 2) Müffling l. c. — 3) Closterm. l. c. p. 107, Ledeb. l. c. — 4) Vide p. 48. —

diligentissime perpenderis. Postquam enim eius copiae eo loco, quem supra significavi et ad limitem Bructerorum situm coniicio, convenere, L. Stertinius et viae patefaciundae et naturam locorum speculandi causa in fines Bructerorum praemissus est, ut paulo post Caecina in saltum praemittitur. Quos dum fundit, Germanicus cum legionibus subsequitur omniaque devastans usque ad fontes fere utriusque fluminis progreditur. Quocum pervenisset, in Senna deserto substitit, quo Bructeros a Cheruscis aliisque nationibus disiunctos fuisse supra [1]) demonstravi, neque *procul* fuit *Teutoburgiensi saltu.*

Haec quidem plana esse puto; nam *quantum Amisiam et Lupiam amnes inter vastatum*, non licebat Tacito dicere, nisi ille legiones usque ad fontes utriusque amnis duceret, qui oriuntur in pristinis Bructerorum et Cheruscorum confiniis. Quibus de causis si Germanici exercitum *ad ultimos Bructerorum* progressum inter Haustenbeek et Lippspring substitisse eamque saltem montium Osningensium partem, quae utriusque amnis, quos dixi, fontibus quasi interiecta est, Teutoburgiensem saltum a Romanis appellatam esse defendo, non temere quidem disputare mihi videor. Accedit enim, quod in hac regione situm fuisse dicitur Teutoburgium [2]) castrum, cuius reliquias etiam nunc prope Detmoldiam conspici Clostermeier affirmat. Utrum vero

---

1) Cf. supra §. 7. — 2) Closterm. l. c. p. 73 „Aus archivalischen Nachrichten erhellet, dass der nicht weit von Detmold liegende - - Berg, jetzt die Grotenburg genannt, noch im 16. Jahrhundert der Teut hiess, und desshalb heisst auch der am Fusse desselben liegende Hof der Teutehof.“ Quis vero Clostermeiero non vertat vitio, quod illa documenta, e quibus id efficitur, libro suo non addidit, praecipue cum ipse pronuntiaverit, etiam monti inter Lemgoviam urbem et Visurgim flumen sito esse nomen Teut. —

totus is saltus, qui dimidiam circuli formam quasi describens ab agro Osnabrugensi usque ad Dimolam excurrit, etiam a Romanis, sicut media aetate Osning sive Osnegge[1]), an Teutoburgiensis nuncuparetur, in medium relinquo. Nam mediam eius partem eamque, cum omnes illi montes inter se cohaereant, permagnam a Tacito Teutoburgiensem dictam esse nemo potest negare. In eo igitur saltu, qui Amisiae Lupiaeque fontibus proximus est, *Vari legionumque reliquiae insepultae dicebantur.* Idem docet Dio Cassius[2]), qui Vari exercitum inclusum silvis montibusque trucidatum esse narrat. Ex his liquet, eas legiones non in Senna[3]), utpote quae sit plana nemoreque vacua, esse occisas. Quod si iis contigisset, ut ex saltu egressae Sennam apertam cepissent, non dubium est, quin viam usque ad Alisonem proxime situm, nam ager Elsensis ab illo saltu unum tantum milliarium distat, adiuvante eius castelli praesidio virtute arteque sibi patefacturae fuerint. Cum igitur cladis Varianae loca tam brevi spatio ab agro Elsensi absint, ut pauci Romanorum ex illa elapsi in hunc facillime possent pervenire, et Germanicus in eo agro commorans, tumulum in locis cladis legionum reliquiis structum, disiectum esse facile posset comperire[4]); sequitur, et Alisonis situm et illius cladis loca a nobis recte esse descripta, quoniam id castel-

1) Cf. Ledeb. l. c. p. 214, „Die herrschendste Ansicht ist es, dem ganzen Gebirge, welches Westphalen in einem grossen Halbkreise durchzieht, - - den Namen Teutoburger Wald zu ertheilen. Diese Bezeichnung ist jedoch nach Tacitus - - nur für den zwischen den Quellen der Ems und Lippe gelegenen Theil der Bergkette zu verstehen." Mon. Paderb. p. 38, Eginh. v. Car. M. „iuxta montem, qui Osnegge dicitur, in loco Thietmella" (Detmold.) „nominato." Closterm. p. 72. — 2) Dio Cass. 56, 20 seqq. — 3) Hoc Clostermeiero visum est; cf. c. p. 23. — 4) Videsis ea, quae §. 10 dicta sunt. —

lum his locis proximum fuisse compluribus veterum testimoniis confirmatur [1]).

§. 12.

Unum restat, ut pauca generatim de Alisone dicamus. Id castellum conditum est a Druso anni undecimi a. Ch. n. auctumno [2]), ex quo tempore paulatim amplius celebriusque fieri cœpit. Hinc enim plerumque expeditiones in mediam Germaniam suscipiebantur [3]) et legionibus in mediis Germaniae finibus hibernantibus alimenta suppeditabantur [4]). Ut paucis dicam, Aliso erat sedes omnium instrumentorum ac machinationum, quibus Romani universam Germaniam in suam potestatem redigere studebant [5]). Sed omnes eorum rationes conturbatae sunt clade Variana, ex qua quandam militum partem Alisonem profugisse accepimus [6]) Cum autem Germani tamdiu victoriam nondum exploratam esse intelligerent, quamdiu Romani Alisonem tenerent, omni virium contentione eum expugnare studuerunt, quae quidem res aliquanto post eis successit. Quamvis enim id castellum tam firmum esset, ut *immensae Germanorum copiae* [7]) idem vi expugnare non possent: tamen Romani, utpote qui in opia alimentorum premerentur, ex eo ut evaderent, operam dederunt, quod nocte quadam procellosa Lucii Caeditii ducis strategemate prospere ipsis cessit [8]);

---

1) Cf. §. 10 disputata. — 2) Cff. ea, quae supra §. 6 disserui. — 3) Cf. Luden, d. Gesch. 1825, I, p. 228. — 4) Cf. Vell. II, 105. Alisone horrea fuisse docet Frontinus Strat. III, 15, 4. — 5) Cf. Luden, l. c. p. 187, „Aliso wurde bald der Heerd aller röm. Bestrebungen, die durch (dieses Castell) Halt und Richtung erhielten.“ — 6) Fron. l. c. Vell. II, 120. — 7) Cf. Vell. l. c. — 8) Cf. Dionis fragg. ed. a Morellio, Bassani 1798, p. 39. *καὶ τὰ ἐρυματα πάντα καὶ ἔσχον οἱ βάρβαροι, ἄτερ ἑνός -- οἱ δὲ ἐντὸς ὄντες Ρωμαῖοι -- ὡς - λιμῷ συνείχοντο ,ἐξῆλθον - ησαν δὲ στρατιῶται μὲν ὀλίγοι, ἄοπλοι δὲ - πολλοί* cf. Front. l. c. IV, 8, 7.

nam ii (erant pauci milites, multi inermes) inde per hostium excubias perlapsi sunt ad Rhenum [1]).

Quid autem postea Alisoni acciderit, non satis liquet. Cum enim Dio Cass. [2]) omnia Germaniae castella uno excepto in manus hostium incidisse tradiderit, quod ad Alisonem esse referendum Velleius [3]) docet, et Tacito [4]) teste Aliso (anno XVI p. Ch. n.) a Germanis iterum obsideretur: Müfflingius [5]) coniicit, *Caeditium* quidem *cum reliquis ex Variana clade* e castello ad Rhenum perlapsum esse, sed praesidium castri, cui teste Frontino [6]) Caelius præfuerit, usque ad annum XVI p. Ch. n. certe Alisone se continuisse. De hac re aliter iudicandum videtur. Dio Cass. enim Caeditii fugam tot tamque gravibus descripsit verbis, ut post eius discessum Alisonem omnino in potestatem Germanorum pervenisse dubitari nequeat. Præterea apud Frontinum nomen *Caelii* aut scripturae compendium est nominis *Caeditii*, aut pro *Caeditii* nomine falso scriptum est *Caelius*, quem post eam cladem facinoris cuiusdam praeclari auctorem fuisse Velleius [7]) narrat. Quod autem nobis occuritur [8]), nusquam apud veteres scriptores recepti Alisonis fieri mentionem, id nullum verum est argumentum; nam illis permulta notatu non digna videbantur, quæ scire nostra permagna interest. Hæc vero probabiliora videantur: Postquam L. Cæditius cum præsidio Alisonem reliquit, Germani horrea aliaque ædificia lignea discidere ignique pervastavere; sed mœnia firma munimentaque, quippe quæ nec ignis consumeret nec Germanis cum magna opera demoliri luberet, pæne integra remanserunt. Quapropter, cum Germanicus postea in eam regionem pervenisset, neque difficile castellum erat ad reficien-

1) Dionis fragg. supra allat. — 2) Ibid. — 3) Vell. II, 120, „qui - circumdati Alisone“.... — 4) Ann. II, 7. — 5) L. c. p. 21. — 6) Front. l. c. „Cælius, primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit.“ 7) Vell. l. c. — 8) Müffling, l. c.

dum, neque ea res tanti momenti, quam Romanorum scriptores silentio prætcrire non possent. Est autem facile ad credendum, id castellum a Germanico in expeditionibus, quas contra Marsos Chattosque suscepit, instauratum esse ac præsidio firmatum. Quod cum anno XVI a Germanis obsideretur, sex legiones eo duxit, *ad quorum adventus famam obsessores dilapsi sunt*[1]). Quamdiu autem Romani Alisonem obtinuerint, non accurate potest definiri, cum postea nulla apud veterum scriptores eius fiat mentio; certe eum non ultra annum quadragesimum septimum tenuerunt, quo Claudius imperator *adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri cis Rhenum praesidia iuberet.*[2]) Ex eo quid Alisoni acciderit, coniectura licet assequi. Germani enim, cum intellexissent, quam facile celeriterque Romani castellum semirutum instaurare possent, ne idem fieret, si quando ii redituri essent, omnia castelli munimenta tam funditus radicitusque intercidere, ut vix ullum eius relictum sit vestigium. Lapidibus autem disiectis, quibus regio ea neutiquam abundat, postea christiani ad templa usi sunt ædificanda[3]). In locum castelli abscedentibus Romanis, si non prius, Germanos immigravisse et agri ab illis exculti colendi causa in eo sedes fixisse, supra memoravi. Hinc factum est, ut omnia Alisonis vestigia paulatim magis exstinguerentur neque quidquam eius memoriam servaret, nisi nomen vici *Elsen.* Valent igitur hæc Ferdinandi Fürstenbergii[4]):

---

1) Tac. Ann. II, 7. — 2) Ib. XI, 19. — 3) Cf. Clostermeier, l. c. p. 136, „Sehr wahrscheinlich sind die von den Römern zu Aliso aufgeführten steinernen Gebäude — abgebrochen und von den Materialien derselben Kirchen und Klöster in der Umgegend erbauet worden.“ — 4) Cf. „Monumenta Paderbornensia,“ quae cum et doctissime sint scripta et magnam rerum gravissimarum contineant copiam, olim quinquies typis exscripta sunt, neque operae pretium non fecit Jos. Micus (in gym. Paderb. sup. ord. praeceptor) qui ea nostra aetate in germanicum convertit.

Si quis Alisonem vestigas forte Sicambris
Impositum Drusi grande Neronis opus,
Quo steterunt aquilae, populis quo Roma subactis
Iura dedit, signis perniciosa suis:
Huc propera, pago vicino nomen et amni
Haeret adhuc, priscis nobile temporibus.
Longa dies fossas late complevit et hostis
Mœnia victrici diruit alta manu.
Fama superstes erit scriptoribus aucta Latinis
Donec Alisonis Luppia crescet aquis.

Vita.

Natus sum *Brakeliæ* inter *Guestphalos* a. d. VIII Idus Nov. anni MDCCCXVIII patre *Antonio Giefers*, *Anna Maria Elisab. Gundolf*, quorum hæc iam ante hos octo annos, ille ante tres, id quod doleo e vita discessit. Primis litterarum elementis imbutus sum in schola urbis patriæ. Cum deinde anno MDCCCXXXIII Gymnasium Theodorianum Paderbornæ florens adiissem, præter viros egregios *J. Ahlemeyer*, *J. Lessmann*, *F. Schwubbe* præceptoribus usus sum viris dilectissimis mihique cognatione coniunctis *Henrico Gundolf*, illo tempore Gymnasii directore eiusque fratre *Antonio*, quorum uterque summa me prosecutus est benevolentia maximaque in me contulit beneficia, quare illius viri optimi ante biennium præmatura morte mihi erepti memoria nunquam ex animo meo discedet, huic non possum quin meritas gratias persolvam.

Auctumno autem anni MDCCCXXXIX testimonium maturitatis quod vocant adeptus et inter cives Academiæ regiæ Monasteriensis receptus, per biennium studiis theologicis et philologicis historicisque operam dedi et hosce audivi vv. cll. *Grauert*, *Winiewski*, *Esser*, *Berlage*, *Cappenberg Reinke*. Præterea seminarii philologici per annum fui sodalis. Tum mense Octobri anni MDCCCXLI almæ *Fridericiae Guilelmiae Rhenanae* universitatis civium numero adscriptus studiis historicis et philologis me dedi et per biennium sexque menses interfui scholis historicis vv. cll. *Aschbach*, *Dahlmann*, *Loebell*, philologis *Ritschl*, *Welcker*, *Ritter*, *Schopen*, philosophis vv. cll. *Brandis* et *Delbrück*. Quibus viris omnibus de me meritissimis gratias quam maximas ago semperque habebo. Mense Maio anni MDCCCXLIV compluribus rebus impeditus, quominus cursum studiorumque rationem, quam ingressus eram, tenerem, Bruvilariam me contuli, ubi viri humanissimi *Brandt*, ergastuli provincialis directoris aliorumque filios ad eas doctrinas institui, quæ in classibus Gymnasii inferioribus tradi solent. Ante annum denique Bonnam reversus studiis historicis privatim operam navavi.

Sententiae controversae.

1. *Non innocentia finis est vitæ, sed virtus.*
2. *Quodcunque facimus aliorum causa, etiam nostra causa facimus.*
3. *Apud Tacitum Ann. II. 8, et Germ. 33, pro Amsivariis falso memorantur Angrivarii.*
4. *Taciti Germaniæ loci, qui sunt de gentium sedibus, spectant ad finem sæculi p. C. n. primi.*
5. *Cl. Ptolemaei tabulae geographicae non ad ipsam eius aetatem, sed universae ad alteram saeculi p. C. n. primi dimidiam partem, singula vero cuiusque tabulae ad diversa singula tempora pertinent.*
6. *Quod omnes adhuc contenderunt, Cheruscos plures fuisse gentes inter se foederatas et Melibocum montem potissimum accoluisse, negandum est.*
7. *Marsi non in septentrionali Lupiæ ripa, sed in meridionali sedes habuerunt.*
8. *Veteres historiarum scriptores multo certiores sunt geographiae Germaniae antiquae auctores, quam ipsi geographi.*
9. *Ratio viaque, quam Ledeburius potissimum ingressus ex pagorum atque archidiaconatuum medii aevi terminis antiquarum gentium sedes circumscribere conatus est, incerta est atque perversa.*
10. *Henricus I. Germanorum rex diadema atque unctionem recusavit, propterea quod non omnium germanicarum gentium consensu rex creatus erat.*
11. *Gfroererus Henricum II. imp. nimiis laudibus extulit, idque ipsum ab eo praeclare factum praedicavit, quod imperio Germanico postea maxima attulit incommoda.*
12. *De Wenceslai imp. ingenio atque imperio plerique scriptores recentiores iniquius iudicaverunt.*